





NICOLAI

Collg. Rom. **FIZERBERTI** Soc. Jesu

De Antiquitate & Continuatione
Catal. Catholicæ Religionis in Anglia, Inscript.

&

DE ALANI CARDINALIS VITA
LIBELLVS.

Bibl. Card. Ad Sanctissimum D. N. Bellarm

PAVLVM QVINTVM
PONTIFICEM MAXIMVM.






ROMAE, Apud Guillelmum Facciottum. M.DC.VIII
SVPERIORVM PERMISSV.



SVMMO ET



SANCTISSIMO PONTIFICI

PAVLO QVINTO

NICOLAVS FIZERBERTVS SALVTEM AC FELICITATEM.



ON equidem casu, aut humano consilio, sed diuina planè prouidentia factum interpretor, vt, cùm Clemens Octauus longe Maximus & Sapientissimus Pontifex de viro Principe cogitaret, cui præcipuam curam rerum Anglicarum committeret, Te ante alios (Pater Beatissime) animo destinauerit, verbo elegerit & confirmauerit. Nam neque pietati conuenit nos existimare, supremum Christi in terris Vicarium, cùm de re graui & ad Christianam religionem spectante deliberatio-

nem suscipit, ab alio quàm Christi dirigi spiritu : & nos pluribus experimentis docti cognoscimus, quando ipse te Anglis defensorem constituerit, multò ante prospexisse se, & quantus tu futurus esses, & quali patre ac patrono fractæ res Angliæ ac propè desperatæ indigerent. Itaque quasi iam præsagiens, quòd eundem te Deus non ita multò post, inter ætate grauissimos non adeo senem, & inter optime meritos nihil minùs cogitantem in plenitudine potestatis Pontificem in eius locum subrogaturus esset; sic ille prudentissimo consilio te sibi tunc administrum in huius solicitudinis partem assumpsit, vt pro sua in Anglos charitate augeret in te magis, non vlla ex parte imminueret de his tuis clientibus cogitationem. Neque sanè credibile est, quòd tibi, non innocentia tantùm sed pietate præcellenti, aut abesse nunc possit in maxima fortuna benefaciendi studium, cui in minori semper aderat paratissima iuuandi voluntas: aut propẽsæ tuæ voluntati deesse queat diuina illa bonitas, quæ dignata est tibi tantũ adiungere potestatis. Tantum enim abest, vt a cura singulorum eximat illum, quem ad omnium curam vocauit, vt ei pro muneris impositi

ma-

magnitudine pares vires & firmitatem semper soleat impertire. Vidit nuper Roma & exhilarata est, quòd ignoti ac remoti Congi regis legatum itinerum longitudine, mora, difficultate solum fere vnumq; superstitem, honorificentissimè receperit Sanctitas tua, & intra triduum ex mortali vita apud te ereptum, summi funeris & destinati sepulchri honore ad posterorum memoriam ornauerit. Nouit, & confirmata est, quod ingrauescente annona, inundante Tyberi doloris tui vt patris, solicitudinis vt pastoris, liberalitatis vt Principis, periculum fecerit. Et poteritne tanta pietas obliuisci aliquando Regni vicini, notissimi, Sanctæq; huic Sedi deditissimi, quæ Nuncium à disiunctissimo tanti fecerit? poteritne non curare affectos & afflictos omni ob Romanam fidem calamitate, quæ vnico Romanorum suorum incommodo tantopere fuerit commota? Tametsi enim (Pater Sanctissime) & isti, & omnes, qui Christi sunt, tui sint; tamen ex omnibus nulli propiores tibi, nulli magis verè ac propriè sunt tui, quàm qui domestici fidei, tui in Christo viuunt, tibi pro Christo deseruiunt, tuæ Sanctæ sedis gratia patiuntur grauissima, & pro eadem, vt res po-

ſcit (poſcit autem ſæpiſſimè) æquiſſimo animo moriuntur. Sed cur me non contineo? cur in his inculcandis inſiſto, apud tuam præſertim Sanctitatem, qua nemo melius Anglos Anglorumq; cauſam nouit, vix quiſquam plura & certiora optimi in eos ſtudij ac voluntatis indicia dedit? A me verò, qui probè mihi conſcius ſum, quid publica, quid priuata cauſa ei debeo, ineunda potiùs ratio in præſens eſt, qua conſcientia mea debito hoc, aliquo officij genere, releuetur. Quamuis enim illa, quæ à tanta Maieſtate proficiſcuntur beneficia, nullam admittant remunerandi vicem: iſque ego ſim, à cuius tenuitate nihil niſi minutum & exile poteſt prouenire: tamen cùm, hoc præſertim tempore (quo, perfecto iam completoq; feliciter Pontificatus tui triennio, pro ſua quiſq; facultate & propenſione animi dies feſtos celebrare, & lætitię ſigna proferre quàm maxima contendit) alterutrum neceſſe ſit, vt vel culpetur ſilentium meum, vel notetur audacia; mallem in officij præſtiti exilitate videri temerarius, quàm in leuiſſimam ingrati immemoriſve animi vituperationem taciturnitate incidere. Quamobrem, cùm paruum ego opuſculum, De catholica in Anglia religio-

ne,

ne; essem elucubratus, statuissemq; vitæ Cardinalis Alani compendium, quod in manibus habebam, edolare atque annectere; omnino mihi faciendum iudicaui, vt ea in publicum edita, Sanctitatis tuæ nomini venerabundè dedicarem. Nam cui magis debentur ea, quæ religionem attingunt, quàm veræ religionis in terris Principi & arbitro? cui priùs Cardinalis vita, quàm cui soli de Cardinalibus, & in Cardinales potestas est? Licet igitur munusculum ipsum leuidense sit filo crassiori, quàm vt venire in conspectum summæ Maiestatis mereatur; atque ipsemet in eo confidentiùs, quàm par est, me gessisse videar: attamen quia vix aliquid melius, certè nihil maius ab exule & inope aut expectari potest, aut emanare solet: eò libentiùs sub tuæ Sanctitatis patrocinio exire ipsum volui, quò securitas eius ac fidentia sub tanto patrono sit maior, & benignitatis tuæ gloria in rei paruitate illustrior. Ibi enim humanitatis laus præcipua, vbi meriti causa nulla, vel tenuissima. Quòd si verò à tua Beatitudine ita voluntas probetur mea, vt facultatis inopiæ ignoscatur; & ea officij mei ratio habeatur, vt audaciæ venia non denegetur; non erit quod me huiusce confi-

dentiæ

dentiæ pœniteat; quæ cum Sanctissimo materiem præbuit exerendæ benignitatis suæ, tum me nouo vinculo maximi beneficij ita astrinxit; vt quando ad reuerentiam meam aduersus eum nihil, ad amorem vix minimum quid possit adiungi; in eo mihi enitendum in posterum, & id quàm maximè agendum sit, vt de Sanctitatis tuæ beneficijs cogitem assiduè, pro salute & incolumitate tua vota quotidiè faciam, & quantuloscúnq; obseruantiæ studijq; mei fructus ad tui tuorumq; debitum obsequium & præconium deferam. Romæ 17 Maij anno Domini M. DC. V I I I.

DE ANTIQVITATE, ET CONTINVATIONE CATHOLICÆ RELIGIONIS IN ANGLIA.






IRMA & ſtabilis ſententia eſt, non ſolùm aſſenſu omnium ac temporis diuturnitate comprobata, ſed quæ vna cum ſeculis & hominum ætatibus etiam conſenuit: nihil æquè ac religionem valere ſiue ad populos in officio continendos, ſiue ad cuiuſcumq; reipublicæ ſtatum corroborandum & conſeruandum.

Quare non ſine cauſa tum in reliquis nationibus, tum in Romano ante alios populo ſic ſemper viguit religionis cultus, vt non mirum, dixerit Valerius Maximus: *Si in eo Imperio augendo conſeruandoq; pertinax Deorum indulgentia excubuerat, cuius ſcrupuloſa cura paruula quæq; religionum momenta examinauerit, neque remotos vmquam oculos ab exactiſſimo cultu cærimoniarum habuerit,* *Lib. 1. c. 1*

Græci de rebus omnibus aut Delphis, aut ab Ammone, aut à Dodone oracula pe- *Cic. de Diuin. lib. 1.*

 tebant.

De natur. Deor. li. 1 bant. Nunquam vel fando auditum, ait Cicero, Crocodilum, aut Ibim, aut Felim ab Aegyptijs (qui ea colere religiosè solebāt) fuisse violatum. Si sacerdos inter Aethio- Strabo. Baptista Fulg. li. 1. pes Regem mori reipublicæ causa, proprijsq; manibus vitam sibi eripere iussisset, obediendi necessitas ei incumbebat.

Romana ciuitas, inquit Valerius Maxi- Lib. 1. c. 5 mus, *Omnia post religionem ponenda semper duxit: etiam in quibus summæ maiestatis conspici decus voluit. quapropter non dubitauerunt sacris imperia seruire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si diuinæ potentiæ benè atque* Cic. & Tit. Liuius. *constanter fuissent famulata.* Itaque apud Romanos summum imperium religioni cedebat: Nil domi, seu militiæ, nisi rebus diuinis procuratis, & consultis antea placatisq; Dijs gerebatur: Vnicum sacerdotis verbum quascunque magistratuum electiones abrogabat: Tandem ipsimet Imperatores se Pontifices dicebant. Quid multis? antiquitus Reges, si Aristoteli credimus, rerum sacrarum curā curationemq; habebant. Nec Persarum Rex quisquam, De Diuinat. lib. 1. Cicerone teste, esse poterat, qui non ante Magorum (hoc genus Doctorum & sapientum habebatur apud eos, Deorumq; cultui vacabat potissimum) disciplinam ac scientiam percepisset.

Quòd

Quòd si tanta vis religionis innata hominibus, & natura in animo quasi insculpta sit, vt antiquiores isti;etsi in veri Dei, veræq; religionis ignoratione versarentur; necessarium tamen sibi duxerint, aliquam religionis formam speciemq; effingere; cuius obiectu, quasi diuino prolato numine, eos siue seditiosorum ciuium conatus reprimerent, siue impetus ferociorum cohiberent, quos nullus alioquin legum metus,nulla rationis præscriptio poterat continere: Nonne hoc ipsum multò feliciùs atque efficaciùs apud homines Christianos christiana religio præstabit atque perficiet?quæ à Christo Deo ac Saluatore profecta ac constituta, tanta nititur veritate, vt nullam dubitandi suspicionem admittat. Quin etiam eius est decoris, & castimoniæ, vt licet nullis vnquã miraculis fuisset comprobata, tamen ipsa honestate mereretur sua, quæ ab omnibus reciperetur. Eius virtutis & perfectionis, vt aliarum religionum vanitates facilè detexerit, suorumque errorum portenta conuicerit apertissimè. Eius immensitatis ac potentiæ,vt nullis terminis circumscripta totum mox terrarum orbem complexa sit. Insuper tantæ antiquitatis,vt constet vnam eandemq; religionis legem, his qui à vera fide nõ aberrauerint, cùm vsurpatam

Christianæ Religionis. *Veritas.* *Honestas* *Pius I. apud Platinam.* *Perfectio.* *Vniuersitas.* *Antiquitas.*

patam à natura, tùm à Moyse conscriptam, demum à Christo Domino perfectam, & omnibus suis partibus expletam, viguisse ab initio, & cum annis & ætatibus simul inueterauisse. Tantæ prætcrea consensionis, vt ab ipso Christo vsque ad hanc ætatem omnium gentium conspiratio in huius fidei integritate tuēda seruandaq; fuerit incredibilis; neque hæresis aliqua priùs potuerit caput attollere, quin ea breui, adhibita primæ sedis auctoritate, consultisq; pastoribus, ab hoc vno consensu, vt à Sole nebula dissipata, conuulsa, extincta sit. Postremò tam mirabilis seriei ac continuationis suorum in Ecclesia Romana rectorum, hoc est Summorum Pontificum, à Christo nempe, ac Petro ad Paulum hunc Quintum; qui diuina planè electione nunc Vicarij loco, post ducentos triginta sex alios Pontifices sanctos, ipse sanctissimus & integerrimus Ecclesiam Dei in eadem fide ac sede gubernat: vt perspicuum sit, tā multorum conuenientiam & consensum quasi cognatione continuatum, in tantis temporum motibus, innumerisq; hæresum passim irruentium procellis, non potuisse conspirare, nisi ipso Spiritu sancto interueniente, ac Christo orante, ne Petri fides deficeret; sed ipse conuersus, & suos fratres confirmans, ab omni eos lapsu & erratio-

Consensus.

Cōtinuatio, & Vnitas.

237. Pontifices Romani.

Luc. 22.

ratione reuocaret.

1 Hæc igitur Christi fides atque religio præcipuum omnis Imperij fundamentum ac firmamentum est. Nam potestas omnis à Deo: Deo autem placere sine recta religione impossibile est. Itaque necessaria omnino religio: Nec minùs ipsi Regi, vt ea informatus ad omnem moderationem & iustitiam, charus efficiatur primùm Deo, dein populo suo, qui vlteriùs iam non illum, sed de illo, timebunt (quod Imperij genus diuturnum fore verissime prædicabat sapiens ille apud Plutarchũ Pittacus) quàm etiam subditis, quos in subiectione & obedientia non tantùm instituit, sed etiam conseruat. Nam sine pietate virtutum omnium fundamento, vix aut ne vix quidem fieri potest, vt vulgus colla submittat, & se ac iura sua alterius nutui arbitrioq; permittat. Nam cùm nemo omnium sit, qui libertatem, qua nil dulcius; sibi libenter præcidat: neque vllum reperiatur animal homine læso atque iracundia percito efferacius aut periculosius; vtpote qui ingenio valet, inuictoq; est animo, nouitq; sibi ad vires augendas aliarum rerum omnium subsidia comparare: nisi hic sanè religionis reuerentia commoueatur; nisi Sacerdotis monitis imperioq; castigetur; nisi conscientiæ & confessionis

Religio omnis Imperii fundamentũ.

Cic. pro Planco.

vinculo, (quæ vel occultissimis peccatis præit obuiam) constringatur; nequicquam certè tam immanem multorumq; capitum belluam intra rationis & debiti muneris septa continere experiemur.

Itaque hæc est illa pulcherrima scientia, quam à Xenophonte tradi filio suo voluit Agesilaus, rara virtute Rex, Obediendi, & Imperandi; quæ maximè perficitur latente religionis ac conscientiæ vi: cuius adeo graue est pondus in virtutum & vitiorum ratione, vt ea sublata iacere alia omnia rectissimè affirmet ille; qui alio loco insuper addit bellam illam sententiam; *Quod si qui satis opibus hominum sibi contra conscientiam septi esse, & muniti videntur, Deos tamen horrent; easq; ipsas solicitudines, quibus eorum animi noctes & dies exeduntur, à Dijs immortalibus supplicij causa importari putant.* Quare hæc illa est, quæ à scelere reuocat, quæ tutum à seruo dominum, à vicini fraude proximũ, pauperem ab iniuria, diuitem ab insidijs, ipsum verò Principem ab omni parte securiorem reddit, quàm si multorum ianitorum satellitumq; excubijs, & diurnis nocturnisq; vigilijs custodiatur. Timebunt enim semper qui Deum timent, ne quid machinando ad iniuriam in hominem, aggregent etiam impietatem in Deum eò

Conscientiæ vis maxima.

Cic. 3. de Oratore. Id. de finib. lib. 1.

maio-

maiorem, quò maior est is, in quem delinquitur. Minister quippe Dei est quicunq; imperat. Sic enim Apostolus, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à* Deo, *itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Iterum, *Obedite præpositis vestris & subiacete illis* Et alio loco, *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire, &c.* Et sanctus Petrus, *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter* Deũ, *siue Regi tanquã præcellenti, siue* Ducibus *tanquam ab eo missis, &c.* Neque alienum est illud (vt ad diuina hæc aliquid humani adiungamus) Marcelli apud Tacitum, *Bonos Imperatores voto expetendos, quoscunq; tolerandos.* Quod nõ verbo tantùm, sed re & exemplo sic docuere Christiani, vt à Regibus & Imperatoribus exagitati, torti, dilaniati, & ad necem vsque fame, vigilijs, igne, ferro, omni tormentorum cædisq; genere excruciati, nunquàm ab Imperio defecerint, nunquam ad arma, aut extrema remedia confugerint: Sed vt viuentes continuas preces pro Imperatorum salute fuderint; sic morientes quoque pro Imperij eorum conseruatione extrema sua vota nuncuparint.

Principibus obediendum. *Ad Rom. c. 13.* *Ad Hebr. c. 13.* *Ad Titum c. 3.* *Epist. 1. c. 2.* *Histor. lib. 4.* *Christiani fidelissimi.*

Ex quo perspicuum est, præcipiente Christo, prædicante sacerdote, operante

conſcientia, monente ac mouente ipſa religione, in tanta ſecuritate conſtitutum eſſe, qui Chriſtianis verè catholicis imperat; vt ſine omni tumultus, inſidiarum, proditionis metu in vtramuis (quod aiũt) aurem poſſit obdormire; neque de ſuæ vitæ, ſtatus, quietis perturbatione grauiori pertimeſcere.

Quòd ſi verò ſecùs quandoque eueniat; atque ex infinita hominum multitudine alter aut tertius reperiatur tanta efferatus immanitate, tam aduerſus religioni, tam auerſus à Deo, vt rationem appetitui, legemque Dei libidini hominis ſubijciens, naturæ iura peruertere, fidem violare, in reipublicæ cladem, aut Principis caput machinari non perhorreſcat; nonne hi monſtra veriùs hominum ſunt ac prodigia exiſtimandi; quàm vt ex horum ſcelere pars aliqua in aliorum exitium, culpam, infamiam deriuetur? Profectò vt vix ſupplicium aliquod excogitari poteſt par talium meritis; ita neque aut crudelius quidquam, aut iniuſtius, quàm pœnas illas, quæ impiorum temeritati ac maleficio ſunt conſtitutæ, vel iræ motu turbido, vel obſcuræ, & tenuis ſuſpicionis odore repetere ab innocentibus.

Quibus ex rebus cùm manifeſtum iam ſit illud quod in initio poſuimus, Reipu-

blicæ

blicæ incolumitatem non tam vi, aut lege, aut præmio, aut pœna, ab homine constitutis, quàm religionis sanctitate ac veneratione conseruari; neque aliam esse nisi Christianam, & Catholicam, quæ religio verè dici & haberi possit: inspiciamus nũc quidem (quod ad nostrum institutum propiùs accedit) quibus fundamentis nixa hæc Christi fides, & qua ratione introducta, tam altas radices in animis hominum à primo egerit, vt in remotissimas quasque orbis partes sine mora peragrata, & peregrinata sit. Inde enim vel maximum eiusdẽ fidei momẽtum, potestatem, præstantiam, licebit animaduertere. *Religio remp. conseruat.*

Magna fuere illa, quæ sublato in cælum Christo Saluatore, eius Apostoli polliciti sunt Christum sequentibus, in eumque credentibus; Spiritus sancti gratiam, virtutũ perfectionem, rectè factorum ac vitæ probè actæ præmia amplissima eaq; diuina, felicitatem post mortem, & regnum cum Christo sempiternum. Magna & plena admirationis quæ promissa hæc confirmabant, Orationis facultas, quia omnium linguis loquebantur; scientia perfecta, vt quæ diuinitus infusa; constantia, animiq; altitudo ante eam diem inaudita, quippe quæ gaudebat in contumeliis, in paupertate gloriabatur, in vinculis se efferebat, *Christianorum præmia.*

exultabat in cruciatu, in morte triumphabat; Signa denique & miracula, quæ naturæ vim in cunctis morborum generibus curandis excedentia, eos, qui viderunt & audiuerunt, cælestem in ijs superamq; virtutem venerari compellebant. Verùm omnium, quæ in ijs cernebãtur, nihil præstabilius, nihil ad rudes animos inflectendos efficacius apparebat, quàm ratio vitæ orationi suæ haud dissimilis, & actiones omnes sua verba plenè ac perfectè exprimentes, cùm quæ ore prædicabant opere multo magis exequebantur.

Vita orationi congruens.

Veruntamẽ neque hæc præstabant Apostoli tantùm, aut docti Christi voce discipuli eius præstiterunt enim & reliqui, qui multis seculis hos secuti, in nationibus ad Christi fidem traducendis laborarunt. Qui quidem (vt ex eadem omnino schola disciplinaq; profectos agnoscas) vitæ suæ rationes omnes ad horum normam & exemplum planè conformarunt; diuinissimasq; illas primorum patrum virtutes ad posterorum cognitionem mirationemque quasi viua imagine expressas transtulerunt.

Quorum sanè numerus, quia infinitus est; & quia mihi propositum non est aut omnes aut plurimos colligere; me intra limites Anglicani soli nõ tantùm cohibebo; sed, ne in immensum crescat oratio, ex

valde

valde multis sanctissimis religiosissimisq; viris, quorum opera in Anglia summopere enituit, perpaucos seligam, breuiterq; indicabo; qui vitam suam instituentes ad Apostolorum præscriptum, in hoc supremo cælestiq; opere vrgendo longè præclarissimis maximisq; laboribus sint perfuncti. Id quod Venerabilis ille Beda loquens de primo Beati Augustini Monachi in Anglia ingressu præclarè confirmat. In cuius viri auctoritate testimonioq; eò libentiùs acquiesco, quòd viuum eum ob doctrinæ præstantiam maximi fecerit tota Christianitas; mortuum verò venerata sit, ob scriptorum suorum fidelitatem memoriamq; vitæ sanctissimè actæ, vniuersa posteritas. Sic igitur ad verbum dicit. *Vbi datam sibi à Rege mansionem Augustinus & socij intrauerunt, cœperunt Apostolicam primitiuæ Ecclesiæ vitam imitari. Orationibus enim assiduis, vigilijs, ieiunijs seruiebant: verbum vitæ, quibus poterant, prædicabant: cuncta mundi huius velut aliena spernebant: ea tantùm quæ victui necessaria videbantur, ab his, quos docebant, accipiebant: Secundum ea, quæ docebãt, ipsi per omnia viuebant: & paratum ad patiendum aduersa quæque, vel etiam ad moriendum, pro ea, quam prædicabant, veritate, animum habebant.* Addit ergo.

Beda lib. 1. histo. Eccles. de gestis Anglorum c. 27.

Quid

Quid mora? Crediderunt nonnulli, & baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ, ac doctrinæ cælestis eorum dulcedinem. hæc Beda. Etenim hisce armis atque his artibus victa infidelitas, ac Christianæ veræq; religionis fundamenta per terrarum orbem sunt iacta: hac eloquentia Christi nomen ac fides omnibus populis prædicata, & persuasa est; simplicitate nimirùm, & innocentia vitæ, suspicientis cælum cælestiaque, despicientis quæ terræ sunt, & infera omnia; neque in alio gloriantis præterquam ipso Iesu, eodemq; crucifixo.

Quibus armis victa infidelitas.

Quis autem ille fuerit, qui primus in Anglia Christum prædicauit, incertū apud authores est. Illud tamen pro certo, saltem pro valde probabili habetur; haud longo post Christi è terris discessum, in cælosque ascensum interuallo, inter alias insulas etiam in Britanniam salutis æternæ Euāgelium ab ipsis Apostolis; aut eorum auditoribus fuisse illatum.

Tertul. contra Iudæos.

Sunt qui affirmant Petrum Principem Apostolorum Christianæ in Britannia religionis principem fuisse authorem. In his a Simon Metaphrastes, b Camdenus, c Nicephorus, d Baronius.

S. Petrus.

Quin etiam Diuum Paulum sempiternæ felicitatis nuncium Britannis apportasse,

a *Ad 29. Iunii.* b *In descrip. Britan. Romani in Britānia.* c *lib. hist. 3. c. 1.* d *Tom. 1. Annal. an. Christi 58.*

S. Paulus.

tasse, non solùm a Theodoretus, & b Sophronius; sed etiam Venantius, Fortunatus ante mille annos scribit his verbis, Paulus, inquit,

Transit & Oceanum, & qua facit Insula portum,

Quasq; Britannus habet terras, & vltima Thule.

Nec desunt, qui testantur Simonem Cananæum agnomine Zelotem Britanniæ Insulæ æterni verbi præconium impertiuisse. c Nicephorus, d Dorotheus, & e Baronius.

Idem quoque Dorotheus ac f Baronius, præterea etiàm g Hermannus asseuerant, Aristobolum Sancti Petri discipulum ab eodem ex Gallia missum ad Britannos, vt ad veram eos fidem instituerent, & erudiret.

Iosephum verò ab Arimathia in Britannia vixisse; & morientem in eadem sepulchrum inuenisse, vno fere ore antiquitùs traditum, credidit posterior ætas: Nã factus comes itineris Beatæ Mariæ Magdalenæ: cùm Palæstina relicta se in Prouinciam Galliæ transtulisset; ablegatus posteà siue à Petro, siue à Philippo Apostolis in Angliam fuit, vt ei populo verba æternæ vitæ traderet. Quòd munus posteaquam cumulatè aliquandiu, & vberi cum fructu

a *De cur. Græco. af fect. lib 9. & ad Timoth.*
b *Sermo. de nata. Apostol.*
Simon Cananæ
c *Lib. 2. c. 40.*
d *In Synop.*
e *In Martyr. 28. Octob.*
Aristobolus.
f *Marty. 25. Martii.*
g *In theat. de conuers. gentium.*
Iosephus.

præstitisset; Mariam Magdalenam ipsius vestigijs persequens, sese cum alijs octo, aut decem socijs gloriosi laboris sui consortibus, in locum quendam, tunc Auallonam insulam, post Glassenburiam dictam, à frequentia populi remotiorem, recepit. In quo solitarius reliquum quod erat vitæ sanctissimè transegit: obdormiscensq; in Domino, monumenti sui locum visendum ab omnibus, atque honore tantis meritis ac pietate digno prosequendum reliquit.

Polyd. Virgil hist. Angl lib. 2. Cãden. in descr. Britan. prouinc. Belg.

Sed in his, quæ iam dicta à me proximè sunt, scrupulus fortè aliquis apud curiosiores rerum æstimatores propter obscuriorem testimoniorum fidẽ resideat, hoc certè quod sequitur sic est traditum, sic nemine refragante comprobatum ac receptum, vt contradicere summæ esset aut ignorationis aut impudentiæ. Circa annum à Domini incarnatione centesimũ quinquagesimum sextum, Eleutherius Pontifex Romanus, litteris & nuncijs Lucij id temporis Britannorum Regis prouocatus, duos misit illuc Antistites, Fugatium & Damianum, vel vt alij, Fuganum, & Dauanum, qui honestissimæ regis postulationi satisfacerent; eiq; credenti iam, ac probè, vti oportebat, instituto Sacramenta Christianæ fidei administrarent. Nec mora initiati Regis sui exemplum secuti populi, cælesti

Eleutherius Papa.

Lucius Britãniæ Rex, primus Rex Christianus.

Beda li. 1. c. 4. Polyd. Virgil. lib. 2. Baron.

sti lauacro mundantur. Ecclesiæ passim cõsecrantur; atque viginti octo, quia anteà fuerant Flaminum sedes, totidem Episcopi, trium Archiflaminum tres Archiepiscopi obtinent. nam primus horum Londinum; alter Eboracum; tertius Legionum (quæ hodie Cestria) ciuitatem occupauit. *An. tom. 2 ann. 183. Asser. Flor. hist. Galfr. Monument. li. 4. c. 14.*

Neque reliquis deinceps temporibus Christiana fides Britannos aliquando defecit. Prostrata valde iacuit Diocletiana persequutione: afflictataq; est variè Ariana & Pelagiana hæresibus; Saxonum incursionibus, & cum alijs quibusdam, tum malè obseruati Paschatis erroribus. Sed neque ea omnia, neque hæc præsens, quæ opprimit vexatio, incertum maior, an diuturnior; tantum potuere, aut, Deo propitio, poterunt vnquam: vt catholicam ex Anglia fidem, tot sanctorum sudore ac sanguine consecratam, expellere & exterminare valeant. *Fides in Angliã nõ defecit.*

Minimè dubiam horum fidem & sequẽs faciet narratio, & authoritas locuples non solùm Gildæ & aliorum, quos iam adduximus; sed illud in primis Iosalini Furnes testimonium; qui libro suo de Britannicis Episcopis, Archiepiscoporum Londinensium Theanum primum numerat; quem asserit viuente adhuc Lucio Rege templũ Sancto Petro, sibi sedem ædificasse: Secun- *Stoüs in Chron.*

dum

dum Clauum, qui bibliothecam eidem Ecclesiæ adiunxit: Deindè alios suis nominibus designat vsque ad Vodinum, qui tertius decimus illam Ecclesiam rexit, donec à Saxonibus, qui primi in Britanniam impetum fecerant, fuerat occisus. Tametsi enim nos tum scriptorum penuria, tùm paucitate librorum, nullos fermè primorum illorum temporum, nec multos proximorum sequentium testes excitare, & ex annalium monimentis eruere possimus: tamen quemadmodum in prima illa nascente iam Britannica Ecclesia (quæ solent esse præclara rerum initia, maximè fidei) credibile est, quamplurimos in omni genere virtutis insignes viros floruisse: Sic ex ætatibus illis, quæ subsecutæ sunt, eadem adulta, nonnullos recensebimus eius authoritatis atque approbationis, vt nullus locus dubitandi ampliùs relinquatur.

De scriptor. Ecclesiast.

Fastidius Priscus.

Tradunt Trithemius, & alij, circa annũ salutis humanæ quadringentesimum vigesimum, fuisse in maximè laudandis Londinensibus Episcopis Fastidium Priscum, vita innocentissima, doctrina exquisita, assiduum in prædicando, efficacem in persuadendo. dignus aureo illo seculo Antistes, qui vita perinde ac verbo continuò docens, non venerandus minùs, quàm sequendus videbatur.

Hym-

Nyma, seu Nimianus ex Regio Britannorum sanguine oriundus, adolescens petijt Italiam; & Romæ apud diuini verbi ministros mysteria veritatis plenè edoct' in patriam remigrauit: Pictos australes ab infidelitate auocatos, Christianorum albo adscripsit: duplici gloria decorandus, tùm quod zelo ardens veritatem ijs, qui eam ignorabant, tradere ante omnia cupiebat; tum quod non alio, quàm à Romana Sede, Christianæ religionis matre, ac perenni incorruptoq; veritatis fonte petendam illam euocandamq; existimauit. Moritur anno Christi 422. *Nyma.* *Picti, qui nunc Scoti nominantur.* *Roma mater religionis.*

Eodem ferè tempore & Palladius Græcus Doctor insignis, à Cœlestino Pontifice Roma mittitur ad Scotos. Et Patricius natus Senatore Britanno, matre verò cum Diuo Martino Turonensi sanguine coniuncta, eisdem in Hybernia Scotis verbum Dei annunciauit annos quadraginta, doctrinæ & sanctitatis laude clarissimus. Hic multas extruxit ecclesias; multos curauit infirmos; vexatos à dæmonibus liberauit; mortuos triginta tres ad vitam reuocauit; quadraginta diebus continuis ita fuit ieiunus, vt nihil gustaret; nec interim tamen in docendo erat cessator. Vt dignum sanè admiratione sit, & hunc in Christo imitando exprimendoq; tam fuisse studiosum; *Palladius* *Patrici'.* *Iocelinus in vita S. Patric.* *Beda.* *Prosper in Chron.* *Sigeber.*

ſum ; & Chriſtum in iſto cumulando gratia ac beneficijs largum adeo & liberalē.

Dubriti⁹. Dubritius Britanniæ Primas, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, tanta cum Deo in gratia erat, vt quoſcunq; languores oratione ſanaret: tanta rerum cæleſtium amore flagrabat, vt ſede relicta, vitam Eremiticam amplexus ſit. Potens in opere; in contemptu mundi potentior, vix. anno Domini 522.

Galf. Monu. lib. 9. c. 12. 13.

Dauid Meneuenſis. In huius locum ſucceſſit Dauid Meneuenſis, auunculus Regis Arturi, inuicti ſanè Principis, ſed de quo commentitia multa antiquorum ætas fabulata eſt. Hic vir religioſiſſimus, in præceptis æternæ vitæ tradendis indefeſſus, morbos omnis generis diuina pellebat virtute: Arianæ hæreſis flammam in Britannia extinxit: duodecim monaſteria à fundamentis erexit: in vita ad annum ætatis centeſimum quadrageſimum ſextum permanſit: A Calixto Secundo in Sanctorum numerum relatus eſt, anno ſalutis 540. Afferat quis in mediū multos aſſiduos, at non pari fructu; aliquos cū Arianis contendentes, at non ſuperantes; nonnullos maximi animi, ſed diſparis facultatis; huic verò quem antepones? qui omnia à ſe perfectè adimpleta eſſe, cæleſtium ſignorum teſtimonium habere meruerit.

Cir-

Circiter annum Christi Saluatoris quin gentesimum sexagesimum quintum Colũba Abbas præclarissimus Pictis septemtrionalibus (qui nunc Scoti) Christum denunciauit; ad eumq; amplectendum gentem illam exemplo vitæ perindè atque oratione traduxit. Successores magna continentia, diuino amore, regulari institutione insignes ex sua disciplina reliquit. Adeò vt non minùs in discipulis multorum post se seculorum, quàm in seipso fuerit apud posteros celebritate famæ, & virtutum opinione nobilissimus.

Columba Abbas.

Beda li. 3 c. 4. hist. Eccles.

Kentegernus Abbas in Monasterio Bangor trecentos monachos sub se habuit, quos passim ad prædicandum amandabat: multos apostatas ad salutarem pœnitentiam reduxit: Pelagianam hæresim oppressit, & in Britannia sustulit; morbo laborantibus ministrare ipse, submissionis & charitatis ergo, solebat: In omni victu continentia summa vsus est: vitam suam ad annos vsque centum octoginta quinque propagauit. Quid virtutibus eius præstantius? quid quæstuosius? quibus deprauatos correxit; hæreticos ab errore auertit; talis denique in imperio fuit, vt officijs animos hominum, charitate ac submissione bonitatem Dei sibi conciliauerit.

Kentegernus Abbas.

Ab hoc tanto Magistro non dispar disipu-

Asaph.

ſcipulus Aſſaph fuit; qui primus omnium Britannorum ab his, qui à Gregorio Magno in Angliã miſsi erant, conſecratus in Epiſcopum, tanta celebritate virtutis, ac gloriæ vixit, vt nomen à ſuo nomine Epiſcopatus accipiens, Aſſaphenſis à poſteris ſit nominatus.

Horum perantiquorum agmen claudet Gildas ille monachus, poëta & hiſtoricus illorum temporum religioſus, ac nobilis, quod partim quidem ex epiſtola illa de excidio, & conqueſtu Britãniæ (nam alia eius opera non vidi) colligi poteſt. Cuius ſanè dictio, etiamſi ſit horridior, nec aperta ſatis: eſt tamen eiuſmodi, vt inde appareat, cùm multa eum pietate, tùm varia doctrina, acriq; iudicio fuiſſe ornatum; ſine quibus ſapientis nomen nunquam eſſet conſecutus.

Atque hi ferè omnes inter Britannos ante annum à Chriſto nato quingenteſimum nonageſimum quartum; id eſt, ante ſancti Auguſtini in Angliam aduentum, floruerunt.

Calamitas omnis prouenit à peccatis.

Vnum eſt in ea, quam diximus, Gildæ epiſtola, ab eo piè animaduerſum, nec à me ſilẽtio tranſeundum: Nullam tunc obueniſſe Britannico populo calamitatem, quam ſpreta religio, ac vita grauiſſimis inquinata ſceleribus à Deo, vel (vt ità dicam)

cam) inuito, non expressissent. Hinc enim tres illæ, quas commemorat, à Scotis & Pictis vastationes; hinc fames; hinc pestis; hinc denique eorum seu cæcitas, seu desperatio tanta; vt ipsimet, quasi mente alienati, eos ad se vltrò vocarent atque allicerent, quos in scelerum suorum iustam meritamq; vltionem diuina prouidentia ordinasset. Sic enim Gildas. *Talis inter Britannos auditur fornicatio, qualis nec inter gentes; odium veritatis cum assertoribus, amor mendacij cum suis fabricatoribus; susceptio mali pro bono; veneratio nequitiæ pro benignitate; cupido tenebrarum pro sole; acceptio Satanæ pro angelo lucis.* (Et paulo post) *Reges habet, sed tyrannos; Iudices, sed impios, sæpe prædantes & concutientes, sed innocentes; magnates & priuatos habet patrocinãtes, sed reos & latrones; quãplurimos cõiuges habẽtes, sed scortantes & adulterantes; crebrò iurantes, sed peierantes; vouentes, sed propemodùm continuò mentientes.* Deinde post increpationes in varios tyrannos, demum inuehitur in sacerdotum impietatem, inquiens: *Sacerdotes habet Britannia, sed insipientes; quamplurimos Ministros, sed impudentes; Clericos, sed raptores, subdolos; Pastores, vt dicuntur, sed occisione animarum lupos rapaces; quippè non commoda*

Epistola de excidio & conquestu Britanniæ.



moda populi preuidentes, sed proprij plenitudinem ventris quærentes.

Hæc & alia multa Gildas congerit vitia, quibus constricti Britanni, cùm omnem virtutis cogitationem abiecissent, pœnas Deo per manus Anglorum (quos, vt Bedæ verbis vtar, tantum oderant, vt ijs secum Britanniam incolentibus nunquam verbum fidei prædicandum committerēt) vel fuga sua; vel seruitute dedere.

Lib. hist. Eccles. 1. c. 22.

Nec aliter posteà ipsimet Angli, quando rebus suis & secundis nimiùm elati; & tot tantisq; in se diuinis abutentes beneficijs, in similia aut maiora fortè vitia sint prolapsi; Normanico populo prædæ ac direptioni fuere. His enim verbis vtitur ille, qui Bedæ historiam de rebus gestis Anglorum continuauit; *Mores Anglorum varij admodum pro temporibus fuerunt. Nam primis annis sui in Angliam aduentus vultu & gestu barbarico, vsu bellico, ritu fanatico viuebant. Sed postmodum Christi fide suscepta, paulatim, & per incrementa temporis, pro otio, quod actitabant, exercitium armorum in secundis ponentes, omnem in religione operam insumpsere. Taceo de pauperibus, quos fortunarum tenuitas plerumq; continet, ne cancellos iustitiæ transgrediantur. Prætermitto graduum ecclesiasticorum viros, quos non-*

Mores Anglorum.

nun-

nunquam professionis contuitus, sed & infamiæ metus à vero deuiare non desinit. De Regibus dico, qui pro amplitudine potestatis licenter indulgere voluptatibus possent; quorum quidam in patria, quidam Romæ, mutato habitu cæleste lucr ati sunt regnum, beatum nacti commercium. Multi specie tenus tota vita mundum amplexi sunt, vt thesauros egenis effunderent, monasterijs diuiderent. Quid dicã de tot Episcopis, Eremitis, Abbatibus? nonne tota Insula sanctis reliquijs indigenarum fulgurat? vt vix aliquem vicum insignẽ prætereas, vbi noui sancti nomen non audias? veruntamen literarum & religionis studia ætate procedente obsoleuerunt, non paucis ante Normannorum aduentum annis. Clerici literatura tumultuaria contẽti, vix sacramentorum verba balbutiebãt. Stupori erat & miraculo cæteris qui Grãmaticam noscet. Monachi subtilibus indumentis, & indifferenti genere ciborum regulam ludificabant. Optimates gulæ ac veneri dediti, ecclesiam more solito manè non adibant: sed inter cubicula & vxorios complexus, matutinarum & missarum solemnia à festinante presbytero auribus tãtùm libabant. Vulgus in medio expositum prædæ erat potẽtioribus, vt vel eorum substantijs exhaustis, vel etiam corporibus in Regum pietas.

longinquum distractis, aceruos thesaurorum congererent: quamuis ingenitum sit illi genti comessationibus magis, quàm opibus inbiare. Illud erat à natura abhorrens, quòd multi ancillas suas, ex se grauidas, vbi libidini satisfecissent, aut ad publicum prostibulum, aut ad externum obsequium venditabant. Potabatur in commune ab omnibus, in hoc studio noctes perindè ac dies perpetuantibus; in cibis vrgentes crapulam, in potibus irritantes vomitum; sequebantur vitia ebrietatis socia, quæ virorum animos effeminant. Hinc factum est, vt magis temeritate & furore præcipiti, quàm scientia militari cum Gulielmo Normanno congressi, vno prælio & ipso perfacili seruituti se, ac patriam pessundederunt. Sed hæc mala de omnibus Anglis generaliter dicta nolim intelligi. Scio clericos multos tunc temporis simplici via sanctitatis semitam triuisse: Scio multos laicos omnis generis Deo in eadem gente placuisse. Facessat ab hac relatione inuidia: non cunctos pariter hac inuoluat calumnia: verùm sicut in tranquillitate malos cum bonis fouet plerumq; Dei serenitas; ita in captiuitate bonos cum malis eiusdem constringit seueritas.

Vitia Anglorum Normănis eos prædă fecerunt.

Hæc ille de Anglis, qui cum mores etiã Normannorum explicasset, subiungit: *Religio-*

ligionis normam vſquequaq; in Anglia euerſam, aduentu ſuo ſuſcitarunt. Videas vbique in villis Eccleſias, in vicis & vrbibus monaſteria, recenti ritu patriam florere: ita vt ſibi periſſe diẽ quiſquis opulentus exiſtimet, quem non aliqua præclara munificentia illuſtret. Vt non mirum, nec falſum videri debeat, quod idem author affirmat, diuinitùs fuiſſe ſancto Brituoldo Epiſcopo oſtentum: qui de regia Anglorum progenie, iã penè extincta ſolicitus, videre meruerit Eduardum illum (qui tanta ſanctitate miraculiſq; in vita clarueri, vt poſteà ſit meritò in ſanctorum numero recenſitus, & Confeſſor appellatus) fore non ità multò poſt Angliæ Regem; ſed cælibem; nec propterea tamen debere ſe aut laborare de eo, aut conqueri; eò quòd Regnum Anglorum cum Dei eſſet, Deum illi de Rege poſt Eduardum ad ſui placitum prouiſurum.

Normannorum religio.

Regnum Anglorũ Dei eſt.

Longiora hæc quibuſdam videri fortè poſſunt, neque inſtituto à nobis ſermoni adeò omnino conuenire: attamen, vt in ſpe ſumus nonnulla, horum lectionem non futuram ijs, qui iſtius gentis hiſtoriæ, & morum cognitione delectantur, aut graue, aut ingratam; ita nullo modo dubitamus, quin eorundem contemplatio poſſit eſſe omnibus, & ad vitæ ſuæ vſum, & ad exemplum,

plum, admodum necessaria. Pergamus igitur nonnullos ex ijs commemorare, qui seniores illos Britannos sunt secuti, atque incœptum ordinem persequamur.

Instabat iam Sexta ab ortu Saluatoris ætas, id est, annus sexcentesimus; cùm Gregorius ille Magnus in suum Summum Pontificem à Deo assumptus, cœperat de Anglorum salutari conuersione (de qua ali quantò anteà fuerat solicitus) non iã amplius cogitare, sed laborare vehementius. Nam instinctu diuino, inquit Beda, admonitus, non modò seruum Dei Augustinum, & complures alios cum eo Monachos misit prædicare Anglorum genti verbũ Dei, sed etiam eosdem inerti timore perculsos in itinere, & cupientes reuerti erexit, in incœpto confirmauit, neque instare, vrgere, impellere destitit, donec opus susceptũ felici auspicio, multò felicius perfecissent. Breui igitur effectum est Gregorio adhortante, Deo auxiliante, Augustino ac socijs nauiter laborantibus & indefessè prædicantibus, vt ita ad Anglos peruenerit Christiana religio, vt centum paulò amplius annorum interuallo, non solùm Insulam omnem, gentemq; totam amplexa sit; sed etiam eam effuderit copiam virorum omni virtute & doctrina præcellentium, vt alibi haud facilè reperies vno in loco, & in

Anglorũ conuersio.

Lib. 1. c. 3

Multi viri magni in Anglia.

& in vna gente, plures numero, superiores eruditione, pietate magis insignes viguisse.

Neque verò illud in minima parte illius seculi felicitatis poni debet, quòd in eo natus Dei benignitate Beda ille sit, qui scriptis, monimentisque, dignis æternitate, virorum illorum diuinas excellentesq; virtutes ab obliuione vindicatas, ad Dei Opt. Max. gloriam, posterorumq; documentum, memoriæ commendaret sempiternæ.

Talis autem vir fuit Augustinus iste, qualem eum esse æquum est existimare, quem tali muneri, maximo omnium & diuinissimo, quasi à Deo destinatum, sanctus ille sapientissimusq; Pontifex Gregorius non solùm delegerit, sed etiam præfecerit. Is igitur post Regem Ethelbertum & populos eius ab Idolorum cultu ad Christi veri Dei cognitionem perductos, post multa præclara opera non sine miraculo perpetrata, postq; Ecclesiam Cantuariensem tredecim annis purè religiosèque administratam; perindè apud homines honoratus, atque acceptus Deo, ad eundem ex corporis carcere, & ab hominibus ereptus, euolauit. *Augustinus Monachus.*

Cuius zeli pietatisq; authoritas & exemplum tantum valuit apud Antistites eius suc- *Multi Cantuarien-*

ses Archiepiscopi sancti. successores; vt ex ijs sex septēuè, qui proximè suo ordine eum sunt secuti, meruerint sanctitate sua, & vita innocentissimè transacta, qui publica approbatione in cælestium ciuium societatem communionéq; adscriberentur. Id quod alijs pluribus posteriorum ætatum Pastoribus eiusdem Ecclesiæ accidisse confirmat Gerardus Vossius, vir doctissimus, & in multis diligentissimus, qui omnes ab Augustino Cantuarienses Archiepiscopos in Catalogum, ex ipsius ecclesiæ tabulis olim collectum cōiecit, & ante triēnium in lucem dedit. Cuius opera nobis excusationi esse potest, si eos pluribus verbis recensendi cùm labore nostro, tùm aliorū fastidio supersedeamus. Quare cæteris omissis, Theodori tantùm illius ex Tharso Ciliciæ Græci, viri singularis mentionem hic faciemus, qui *Theodorus Græcus doctissimus.* à Vitelliano Romano Pōtifice creatus Archiepiscopus Cantuariensis, atque in Angliam cum Adriano Abbate missus, sextus post Augustinum illam sedem tenuit, miro omnium ordinum applausu; à quibus suscipiebatur, audiebaturq; libētissimè. Erat enim diuina humanaq; literatura, Græcè & Latinè apprimè instructus, probis moribus, ætate venerandus. Quocirca scholas cum Adriano habere cœpit: in quibus, magnis hominum cœtibus audiendi studio so-

ciatis,

ciatis, vna cum scientia salutari, reliquas quoque artes, quibus liberales doctrinæ & ingenuæ continentur, tradidit ea facultate, vt ex vberrimis suis sermonibus mox extiterint perdocti multi, ac celeberrimi viri. *Atque Theodorus iste*, ait Beda, *primus fuit in Archiepiscopis, cui omnis Anglorũ Ecclesia manus dare consentiret.* additque; *nunquam prorsus, ex quo Britanniam petierint Angli, feliciora fuisse tẽpora; dũ fortissimos Christianosq; habẽtes reges, cũctis barbaris nationibus essent terrori; & omnium vota ad nuper audita cælestis regni gaudia penderent; & quicunq; lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent excellentes in promptu magistros, qui docerent.* Sed pergamus reliquos breuiter complecti. *Lib. 4. c. 2.*

Paulinus vnus ex ijs, qui cum Augustino in Angliam venerant, nihil ab eius virtute zeloq; degenerauit. Nam ad Northũbros profectus, tantùm sedulitate, opera, exhortatione profecit, vt Eduini Regis animum, diu multúmq; repugnantem, expugnauerit, & ad agnitionem veritatis cum populo, in quem imperium tenebat, adduxerit, vnde Episcopus Eboracensis creatus est. Nec multò post tamen varijs afflictatus periculis & laboribus, fugæ etiam, longinquæ incommodis, tandem in Roffensi acquieuit Ecclesia; in eademq; ple- *Paulinus* *Beda li. 3. c. 14.*

An. 644. nus annorum diem clausit extremū. Laborantibus in causa Dei relinquēs exemplū, ne aut territi difficultate desisterēt ab incœpto, aut longa cuiusquam obstinatione aut mora de salute eiusdem desperarent.

Nunquā desperandum.

Aidanus vir mitissimus.

Huic vt ætate, sic loco & gradu coniunctus erat Aidanus Scotus, ad Osuoldum Regem eius rogatu & accersitu ex Hibernia ablegatus, homo si quis alius omni virtute perfectus, mansuetudine in primis, ac moderatione; quibus tum seipsum vincebat, tum animos omniū sibi deuinciebat. Populum docens, cuius linguam ignorabat, Rege ipso interprete, rarissimo exemplo vtebatur. Tempus, quod à docendo illi vacabat, totum in diuina lectione & oratione ponebat. Quæ à diuitibus ei dabantur, ea mox pauperibus dispartiebat, In magnates delinquentes asper; in cæteros mitissimus; vt quibus imbecillis adhuc ac quasi infantibus lac mollioris doctrinæ esset, secundum Apostoli disciplinam, porrigendum. Adeò in nullo deficiebatur, in quo aut Doctoris authoritatem, aut solicitudinem pastoris, aut Episcopi vigilantiam, aut prudentis optimique viri officium desiderares.

Rex Episcopo interpres.

Beda.

Furseus.

Ex eadem natione, & ex nobilissimo Scotorum genere Furseus, ad Orientales Saxones, quibus Sigbertus Rex optimus tūc

tem-

temporis imperabat, peruenit: Ibiq; quos deprehendit constantes in fide confirmat magis; quos aberrantes reducit in viam; quos à fide alienos ad fidem amplectendã omni conatu perducit. Multò autem fit in docẽdo angelica monitus visione alacrior. *Beda li. 3 c. 19.* Bis è corpore diuulsus animus vidit, audiuit, mirãda: inter alia ignes quatuor, qui
1 mundum cõsumpturi sunt; Mendacij, quia non implemus, quòd in baptismo promittimus: *Ignes quatuor mundum consumpturi*
2 Cupiditatis, quòd mundi diuitias
3 amori cælestium anteponimus: Dissensionis, quòd animas proximorum, etiam in superuacaneis rebus, offendere non for-
4 midamus: Impietatis, cùm infirmiores spoliare, & eis fraudem facere pro nihilo ducimus. Monasterium demũ, quod ipsemet illic fecerat, relinquens Anachoreticam vitam elegit. Denique in Galliam profectus moritur, multis virtutum suarum indicijs posteà nobilitatus. Hic tribus excellentiæ gradibus præstitit. Nam zelo docẽdi multorum animas lucratus est cælo. *Tres excellentiæ gradus.* Pietate dignus effectus est, cui Deus diuina reuelaret. Res humanas ita nihili fecit, non tantùm vt, quæ ab ijs accepisset, alijs daret; sed vt relinqueret vniuersa; gloriosissimum existimans vbiq; pauperem, humilem, peregrinum pro Christo esse, & apparere.

Col-

Colmãnus continentissimus. Colmãnus qui ſucceſſit Finano, qui ſucceſſerat Aidano in Epiſcopatum Northũbrorum, cùm ob contentionem de Paſchæ obſeruatione ex Anglia deceſſerit, manifeſtum reliquit ac teſtatũ omnibus, quantæ erant parcimoniæ, quantæ continentiæ illorum temporum Epiſcopi. Nam domos ſibi comparabant eas, ſine quibus ſocietas ciuilis conſeruari non poterat. nihil poſſidebant niſi in pecoribus. Nam quas pecunias à ditioribus accipiebant, eas quamprimùm diſpenſabant illis, qui erant in paupertate. Omnis ſolicitudo ipſis erat Deo, non ſeculo ſeruiendi: cura tota cordis, non ventris excolendi. Quare nihil cõcupiſcentes omnia habebant, eò tum fructuoſiora alijs, tum certiora ſibi: *Quia dominia rerum*, inquit ille, *collabi ſolẽt; bonæ mentis vſurpatio nullum triſtioris fortunæ recipit incurſum*. Quocunq; igitur terrarum venerant, ſumma gratulatione & gaudio, vt veri Dei famuli, excipiebantur: quocunq; tranſierant, omnes genu & ceruice flexis, benedici ore, vel manu, ſummè lætabantur. Talis eos vbiq; honor, tanta omnium reuerentia proſequebatur.

Beda li.3. c.26.

Valer. Max. li.4 c.4.

Beda li.3. c.26.

Ceddis. Proximum his Epiſcopum Ceddim in præſidijs Chriſtianæ rei, cui ſedulò ſemper ſatisfecit, collocabimus. Is vniuerſam

Orien-

Orientalium Saxonum prouinciam Regis inuitatu,ad fidem Christianam,à qua magna ex parte defecerat,reduxit : Regemq; ipsum sacro fonte immersit. A Northumbrorum Rege, qui hominis virtutem prudentiamq; multum suspiciebat, cupiente & instante, locum monasterij ædificandi accepit, quod multis precibus ieiunijsq; consecrauit. atque in eodem post aliquot annos vita præclarè acta defunctus est. Sic talibus viris honores,quos fugiebant, authoritas, quam non ambibant, bona, quæ aspernabantur, vltrò vel inuitis à maximis quibusq; Principibus deferebantur.

Huius Ceddis genus videtur Bedæ, ex ipsius pietatis stirpe fuisse generatum. Nam tres fratres habuit sacerdotes insignes, Cimbillum, Cælim, Ceaddam. Huic extremo cùm à Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi esset obiectum, quòd perperam fuerat consecratus Eboracensis Episcopus; eò quòd ex Episcopis,qui adstiterant, duo erant Britones & schismatici, qui Paschæ tempus contra morem Romanum vitiosè obseruabant; Respondit, Si me nosti Episcopatum haud rite acceptasse, libens dimitto; nunquam enim me eo dignum iudicaui. Cuius responsi submissione delectatus Theodorus; Nolo,inquit, te Episcopatu priuare; sed, quod ordina-

Lib. 4. c. 3.

Ceadda ob submissionem insignis.

tioni tuæ deest, catholica ratione supplebo. Is Aidani discipulus eius vestigia studiosè sequebatur, Apostolico more pedibus peragrans ad euangelizandum; continentiæ & humilitatis suæ exempla passim relinquens; in precatione & lectione sacra frequentissimus. Sic erat moderatissimi animi sui beneficio nunquàm solus destitutus; nusquam sine equo; absque pecunia diues, sine familia comitatus. Translatus verò posteà ad Episcopatum Merciorum in ciuitate Licefeldiensi, post duos annos in eo consumptos, diuina reuelatione confirmatus, & horæ mortis præmonitus, ex hominum vita ad diuorum consortium demigrauit, anno Domini 671.

Vuilfridus. Æqualis horum fuit Vuilfridus post Ceaddam totius prouinciæ Northumbrorum Episcopus; nam ita diu vixit vt multorum ætatibus implicaretur. Hic expulsus à sede, dum Romam petit, conuersioni Frisiæ initium dedit, quam Vuilbrordus posteà absoluit. Deindè verbum Dei euãgelizans Occidentalibus Saxonibus, non solùm eorum animas ab errore eripuit, ac potestate diaboli; sed etiam corpora à fame, qua tum grauiter opprimebantur, liberauit. Nam & ex piscatu, cuius ignari erant, viuere docuit; & cùm tribus totis

annis

annis in eorum terram nullus de cælo imber defluxisset, ipsa die, qua fidei baptismum gens suscepit, cecidit copiosissimus. Idem æquè aduersis ac prosperis rebus probatus, eadem animi magnitudine inter vtrasq; versatus est. Nam bis sede pulsus, parem domi & in exilio mentem, par semper studium in aliorum salutem contulit: atque bis Romam adiens binis Summi Pontificis sententijs restitutus est, innocensq; declaratus. Idque adeò honorificè, vt in Romano centum vigintiquinque Episcoporum Concilio hic titulus datus sit illi, Vuilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracensis. Tandem in pace, atque in sede propria, vitæ, quam in dignitate quadragintaquinque annos laboriosè transegerat, finem imposuit, anno Domini 703.

Beda li. 4 c. 13. & li. 5. c. 20.

Vuilfridi locum in Episcopatu Hagustaldensi Acca, qui illi à sacris fuerat, possedit; in diuinis literis doctissimus, in catholicæ fidei confessione castissimus, in regulis ecclesiasticæ institutionis solertissimus. Hic Ecclesiam suam nobili bibliotheca, & conquisitis vndiq; reliquijs sanctis ornauit: porticibus, altaribus, operibus ampliauit: vasis, luminaribus, alijsq; ornamentis illustrauit: postremò vt diuinæ laudes cantu celebrarentur digniori, exquisitos cantores perquiri accersiriq; curauit.

Acca.

uit. Vt difficile iudicatu sit, quibus primas deferas; hisne, qui sacras illas ædes à primo construxerint; an huic, qui ad earum ornatum tantos sumptus, tantam curam, tanta pietate ac religione adiecerit.

Ioannes. Fuit antè alios miraculorum, dum vixit, multitudine ac priuilegio (quorum sanè multa recenset Beda) clarissimus Ioannes Episcopus Eboracensis. *Lib. 5. c. 2 hist. eccl.* Qui cùm triginta tres annos Episcopatum summa Dei & hominum approbatione tenuisset, in extrema senectute, Vuilfrido presbytero in suum locum suffecto, secessit in monasterium quoddam suum, in Silua vocitatū: ibiq; ætatis præclarissimè actæ finem optatum est assecutus, anno 721.

Vuilibrordus. Diximus paulo ante, conuersionis Frisiæ principium fuisse à Vuilfrido ductum; eiq; paucos post annos extremam manū, Deo auxiliante, Vuilibrordum imposuisse. Nā cùm hanc ipsam ob causam Vuilibrordus, aliquot sibi assumptis socijs, Hiberniam reliquisset (nam in Anglia natus, in Hibernia tamen educatus & instructus est) Romam primùm adire in animo habuit; vt ea, quæ ad tantum opus ritè conficiendum pertinerent, & illic disceret rectiùs, & inde reportanda acciperet pleniùs. Reuersus autem post aliquod tempus est, his rebus instructus, quarum desiderio laborabat.

Nam

Nam à Sergio, tunc ad clauum Romani Pontificatus sedente, honorificè in Archiepiscopum consecratur, & mutato nomine Clemens appellatur: deindè breui multorum sanctorum reliquijs ex optato donatus, summa eiusdem volũtate dimissus est. Itaque Frisiam cum suis socijs ingressus, sedem, Pipino Rege concedente, in ciuitate Traiecti collocauit: & longè latèq; verba prædicans æternæ vitæ, populos à dæmonum seruitute abduxit; templa passim erexit, genti Antistites præposuit, ipsemet canis & summa senectute venerabilis. Nõ enim iam ampliùs Angliæ finibus Anglorum zelus conatusq; includebantur: nam securi de suis, proximorum saluti inhiabant. Quare & hic in Frisijs, & alij mox in Belgis, Sueuis, Gothis, Danis, & Bonifacius ille Moguntinus in Germanis ad fidem conuertendis laborarunt.

Beda li. 5 c. 12.

Angli varias gentes ad fidem trahunt.

Sed ne cursus iste orationis meæ longior iusto videatur, vela paulatim contraham; atque horum temporum felicissimorum Episcopos vno Cuthberto concludam; cui viro ad omnem virtutis perfectionem nihil admodum defuisse audacter dixeris. Nam ab ineunte adolescentia nomine & habitu monachi assumptis, nihil non didicit, quod ad scientiam scripturarum & cælestis vitæ disciplinam pertineret. Oratio-

Cuthbertus vir perfectissimus.

ni erat maximè deditus; ornatus patientia; abstinentiæ castigatione insignis; consulentibus affabilis; familiaris cum adeuntibus; ea charitate beneuolentiæ, qua nulla maior esse poterat. Solebat enim sæpissimè monasterio suo exiens, castella, pagosq; circumire; neque vicinos tantùm, sed procul remotos & in asperrimis montibus sitos; in quibus libentiùs, zeli quodã ardore flagrans, immorabatur, vt plebem ibi rusticam, & idiotam (quorum magna pars, vel in fide titubabat, vel profanis ritibus eam polluebat) non aliter, quam locupletiores ad pœnitẽtiam, & erroris cognitionem reuocaret. Longè enim præstitit tum dicẽdi peritia, tum persuadẽdi vi, tum vultus ipsius (qui quasi cuiusdam diuinitatis speciem præseferebat) venustate dignitateque. quibus rebus, tanquã admota machina, animos hominum expugnabat; & intimas suarum conscientiarum latebras aperire compellebat. Quoties sacrificium victimæ salutaris offerebat, toties suspirijs & lacrymis corde magis, quã ore vota sua Deo commendabat. Inuictissimus, ac vi multa coactus, Episcopi gradum munusque suscepit; nec in eo diutiùs quam duobus immoratus annis, se in monasterij solitudinem, admonitu diuini oraculi, iterum recepit: vt ab humanis re-

Beda li.4 c.27.

bus

bus abstractus, è corporis vinculis liberiùs euolaret. Ferè tantus in fugiendis honoribus, quantus in merendis. Huius in virtutibus tantis, & tam multiplicibus, nescias, quam primùm amplectere: Pietatemne in Deum, an charitatem in proximum; patientiam in tolerandis, an magnitudinem animi in cōtemnendis humanis; maiorem denique in castigando corpore, an in pascendo animo curam ac diligentiam.

In horum numerum vnum Egbertum, alij Herbertum, sacerdotē libet adscribere, vt his, quos recensuimus, tēpore æqualem, sic in eo superiorē, quòd Anglus Scotos à praua Paschæ obseruatione, in qua per annos centum quinquaginta errauerant, remouit. Iamq; nonagenarius, ipso Paschæ die è vita cessit, tùm viuendi exēplo, tum instantia & assiduitate docendi, tum authoritate corripiendi eò apud omnes nobilior, quò ad plurimorum vtilitatem incolumitatemq; eius opera, adeò inuerato errore depulso, fuerit salutarior. *Egbertus.* *An 729. Beda lib. 3. c. 27.*

Sed erunt forsitan aliqui, qui tam cupida mente hæc audiant, tam bona amplectentur, vt eorum desiderij expectationem pauca ea quæ iam diximus, minimè sine expletura; vtpote quibus parum videbitur conuenire aut rerum dignitati, aut cu-

piditati suæ, tam multa ac magna, quæ de personis, ac rebus tanta charitate excellẽtibus dici possunt, aut prætermitti, aut tã angusto orationis ambitu includi. Verũ alia longè est propositi nostri ratio, quæ breuitati studens, nec omnes, nec omnia repetere statuerit; & quæ recenset, ea non tam laudanda sibi, quàm recensenda desumpserit.

Beda Venerabilis. Accedam nunc igitur bona horum cum venia, ad Bedam illum, qui ex iis, quos percensendos ante annum Christi septingentesimum trigesimum delegi, solus mihi superest cõmemorandus. De quo, notissimo quidem, vt plurima dicere superuacaneum esset; sic pauca addere nobis omninò est necessarium: ne cuius operæ diligẽtiæque maximam eorum, quæ retulimus, partem fecimus acceptam, is silentio nostro prætermittatur; dignus alioquin qui omnium literis ac linguis celebretur. In monastica enim disciplina à puero educatus, & omni literarum genere imbutus in virum adeo perfectum eruditumque euasit, vt aliis omnibus suæ ætatis præstitisse videretur. Scripsit libros septuaginta quos ipsemet recenset, triginta nouem volumi- *Post finem histor. Eccles. de gestis Anglorum.* nibus comprehensos; omnes doctrina varia, sed diuina prorsus, aut quæ diuinam spectat, vt sacerdotem ac monachum, ma-

xime

ximè decebat, refertos. Quorum mentionem dum facit, etiam vitę suæ gradus strictim ostendit: at eà moderatione & verborum modestia, vt is, qui eius historiam prosecutus est, in hæc verba prorumpat; *Deficit ingenium, succumbit eloquium, nesciens quid plus laudem, librorum numerositatem, an sermonum sobrietatem. Infuderat enim proculdubio non indigno haustu diuina sapientia, vt angusto vitæ spacio tanta elaboraret volumina. Romæ fuisse affirmare non audeo; sed Romam inuitatum haud dubiè pronuncio.* *Idque confirmat Sergij Summi Pontificis Epistola, scripta Celfrido religioso eius Abbati, cuius initium, Quibus verbis & modis clementia Dei nostri, &c.* deinde; *Hortamur dilectam religiositatis tuæ bonitatem, vt quia exortis quibusdam ecclesiasticarum causarum capitulis, non sui examinatione longiùs innotescendis, opus nobis sunt ad conferendum arte literaria imbuti: Sicut decet deuotum auxiliatorem Sanctæ matris vniuersalis ecclesiæ, obediẽtem deuotionem huic nostræ exhortationi non desistas accommodare: sed absque aliqua immoratione, religiosum Dei famulum Bedã, venerabilis monasterij tui presbyterum, ad limina Apostolorum principum, Dominorum meorum Petri & Pauli,* ama-

Lib. 1. c. 1

Sergij Papæ epistola ad Celfridũ Abbatem

amatorum tuorum & protectorum, ad nostra mediocritatis conspectum non moreris dirigere, quem, faciente Domino sanctis tuis precibus, non diffidas prosperè ad te redire, peracta præmissorum capitulorum cum auxilio Dei desiderata solemnitate. Erit enim ut confidimus, etiam cunctis tibi creditis profuturum, quicquid ecclesia generali claruerit per eius præstantiam impertitum.

Huic epistolæ auctor ille hæc subiungit. *Ità iam celebris erat fama Beda, quòd in quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana: adeo latinitas omnis eius fidei ac magisterio palmam dedit. nam & fidei sana, nec incuriosa, sed dulcis fuit eloquentiæ, in omnibus explanationibus diuinarum scripturarum. &c.* hæc ille.

Cùm in extremum Beda incidisset morbum, quo per duos fermè menses laborauit, quantò erat dissolutioni naturæ proximior, tantò magis ostendit, qua pietate & integritate vixerat. Non enim aut viuere adhuc erubescebat, aut timebat mori; eò quod se grauem nunquam hominibus fuisse, & Dominum habere bonum dicebat. Hancq; conscientiæ securitatem (quod in felicitate ponit D. Ambrosius) multis argumentis tempore morbi manifestauit, nullà ægritudinis suæ vehementia

factus

factus remissior, siue in docendo alios, siue in supplicãdo. Tandẽ appropinquante hora discessus salutari viatico instructus, osculo valedixit astantibus, atque in ipso Ascensionis Dominicæ die, deficiente iam anima, contra oratorium, quo precari cõsueuerat, iubens se deponi, subiecto cilicio, Spiritus sancti gratiam hilari vultu inuocauit, dicens; O Rex gloriæ Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cælos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum patris in nos spiritum veritatis. Qua breui oratione finita, felicem animam Deo seruatori, cuius misericordiam implorauerat, reddidit, relinquens post se eam odoris suauitatem quæ cellam ipsam totam, omniumq; adstantium nares animosq; mirifica suauitate perfundebat. Deo ipso nimirum hoc mortis miraculo approbante, & decorante cognomen illud venerationis, quod hominum consensus multò antè cognitis viri virtutibus indidisset.

Hi sunt igitur non multi ex præcipuis inter eos, qui prima Christianæ religionis semina in Anglicano solo sparserunt. Monachi sanè omnes: & licet in singulis virtutibus alius alio superior; vnusquisq; tamen in simplicitate morum & innocentia vitæ, in animorum submissione, & charitate

Angloru Apostoli monachi omnes.

tate proximorum; in contemplatione rerum cælestium, ac despicientia externarũ; alijs denique cum Christiana perfectione congruentibus virtutibus, erat ad primorum patrum exẽplum tum institutus probè, tum ex omni parte perfectus. Quibus sanè non tantùm sibiipsis tale monimentum honoris & gloriæ, non in arena quidem, sed in petra firmissima extruxerunt; vt in eiusdem possessione successores sui, reliquis deinceps temporibus, ad hunc vsque diem immoti permanserint: sed etiam gentes & populos in sui admirationem, æmulationémq; traduxerint; atque apud maximos Reges, ac viros Principes in summa æstimatione, amore, veneratione, sint habiti.

Nam, vt reliquos omnis sexus & gradus, numero pænè infinitos, taceam qui ad horum inuitationem imitationemq; talem vitæ suæ instituendæ rationem inierint, vt ætates sequentes sanctitatis suæ commemorationem religioso honore sint prosecuti: in his qui Regij sanguinis nominisve fuerint annotandis aliquantulum immorabor. Nam ex viginti sex Regibus, quorũ sanctimoniam patrum nostrorum memoria celebrat singularem, octo minimum, publica Ecclesiæ authoritate accedente in diuorum numerum relati sunt: totidemq;

Beda. Reges 26. Sanctissimi.

alij

alij depositis imperijs, partim in Anglia, partim Romæ monastico habitu fuere induti; vt prioris temporis luxum salutari abstinentia; iocos lusus q; solitudine; imperandi libertatem obediendi necessitate; copiam inopia; saturitatem inedia corrigentes, faciliùs perpetuam illam pro hac exigua breuiq; vita compararent. In quibus illud Ceoluulfi Regis relatu dignum, qui cælestium rerum amore & admiratione captus, tam magni eas æstimauit, vt infra christianam dignitatē nobilitatemq; esse diceret, terrenis negotijs, tanquam rebus vilissimis implicare sese, in ijsq; tractādis esse occupatiorem. itaque post octo annos Regem exuens, intra monasterij claustra se recepit, vt soli Deo viueret ac seruiret. Nec dissimili exemplo Ina, quem Beda nominat Huu; posteaquam multa, eaque regia munera Ecclesijs largitus esset, præcipuè monasterio Glastenburiensi, quod nouum a fundamentis erexerat; ordinassetq; vt singulis annis, à singulis regni sui familijs denarij, quos dicunt Sancti Petri, Romæ soluerentur; etiam ipse, abdicato Regno, quod annos triginta septem optimè ac prudētissimè gubernauerat, Romā adijt; vt peregrinus ac pauper illic quasi ante Apostolorum pedes moreretur: *Cupiens*, inquit Beda, *in vicinia locorum sanctorum*

Ceoluulfi Regis dictum memorabile.

Cōtinuat: hist. Bedæ lib. 1. c. 4.

Ina Rex. lib. 5. c. 7.

Denarii Sancti Petri.

Stoüs in Chron.

Li. 5. c. 7.

ctorum

storum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius à sanctis recipi mereretur in cælis. Quod his temporibus plures de gente Anglorum nobiles, ignobiles; laici & clerici; viri ac fœminæ certatim facere consueuerunt. ita Beda. Verùm vt omnia in vnum colligam; sexaginta plus minus vtriusque sexus (preter nominatos Reges) creati sanguine regali possunt numerando percenseri; qui quòd eam vitæ rationem, illud institutum essent amplexi, quod eos non minus inuictos ab incursu vitiorum, quàm perfectos omnibus virtutis numeris præstabat; non solùm post mortem, sed plerique etiam in vita miraculis illustres perpetuam sui nominis recordationem iusto ac debito posteritatis honore ornandam celebrandamq; reliquerunt.

Sexaginta Regii sanguinis sancti.

Quapropter hisce virtutum radicibus tam altè in Anglia defixis subnixa illa Christiana à Roma profecta religio, tantum nacta est firmitatis, breui etiam sic propagata est, Deo irrigante & incrementum ac robur ministrante; vt quamuis aliqua sui parte perculsa & perturbata seu ventorum sæuitia, seu procellis temporũ, nutasse aliquoties videri possit; mansit tamen semper in stabilitate sua, atque tamdiu restitit, donec peruicerit, & reuersa in se pristinas vires suas, & primam claritatem,

tem illius temporis tempestatisq; discussa caligine, recuperauerit.

Veruntamen hoc nouissimo tempore, nostris sine dubio peccatis grauioribus id à diuina iustitia quasi extorquentibus, euenit, vt tantus malorum cumulus communi nostro, ac velut fatali Angliæ malo, post quingentos amplius annos (videtur enim hic circuitus quingentorum annorū à Dei prouidentia quodāmodo definitus, qui insignem aliquam in Anglia mutationem per Romanos, Anglos,& Normannos conficeret) sub Normannis feliciter fideliterque transactos, irruerit in Anglos: adeoq; miserabilis cæcitas oculos, mentesq; eorum,quos minùs oportebat, occupauerit;vt à via Romanæ fidei verè regia, quam omnium maiorum suorum vestigiis tritissimam, quamplurimis diuinis indicijs contestatissimam,mille & vltrà annorum continuatione probatissimam accepissent; non dubitarint recedere; & deuia persequentes non seipsos tantùm in variarum sectarum errores inexplicabiles inuoluere;sed etiam alios, apud quos ius aliquod authoritatemq; habuerunt, in eandem ruinam,quibus poterant rationibus,prçcipitantes impellere. Quinimò eadem hac,à Sede Principe, & Ecclesia matre vera defectione;dum soli sint, & à reliquo-

quorum regum Christianorum communione seiuncti, in innumeras difficultates, suspiciones, timores se, suosque, domi, ac foris sic præcipitarunt, vt viam non inueniant, qua res suas, vt maximè cupiant, stabilire, & se à metu incommodorum, imminentium expedire possint.

Et licet sanè apud Anglos multo maxima hominum pars vel praua educatione corrupta, vel falsa specie decepta, vel propositis honorum & opum præmiis illecta, vel vi, aut metu obiectis perterrita, siue cesserit tempori, siue à veritate recesserit: nunquam tamen tantam vim habuit aut humana peruersitas improbitasve, aut dæmonis furor studiumque nocendi (ab hoc enim, peccati & mendacij authore, malum hoc proficisci dubitari nequit) vt ita cunctos veritatis cultores Anglia expelleret, vt nō semper remanserint multa eorum millia, qui núquam curuauerint genua sua ante Baal, nec palam de fide confiteri erubuerint.

Quod potuit quondam Satanas, permittente Deo, & nunc potest; sæuitiam suam in optimos quosque adhibere, etiam in maximè innoxios maximam suam potentiam terrore, & minis exercere, efficere denique, vt rectæ & auitæ fidei sectatores vel regno eijciantur, vel compulsi in angu-

angulos, fugiant conspectum hominum, vel captiui carceribus, vinculis, morte cōdemnentur. Attamen ipsi nec ita mortui sunt vnquam, nec ita latuerunt, vt non eorum mortes condigna laude commemorationeq; semper celebrauerit Ecclesia Dei; eorum vincula, catenæ, compedes, non sint apud posteros in honore habita; eorum denique tenebræ atque latibula, non splendorem magis, quàm obscuritatem, tùm fidei, quam profitebantur, tùm sibimetipsis attulerint.

Qui pro Ecclesiastici iuris libertate tuenda primus mortalium mortem obijt, fuit Thomas ille Becchetus Archiepiscopus Cantuariensis; ad cuius sepulchrum visendum admirabilis virtutum incredibilium fama traxit non modo longinquos, hosq; de populo, sed Principes & Reges maximos: Summumq; mouit Pontificem Alexandrum Tertium (eundem, ad quem exul anteà confugerat) vt eum in cælum receptū; & diuorum numero censendum, solemni authoritate, publicoque decreto primo quoque tempore declarare non timuerit.

Thomas Cantuariēsis.

Henricus Angliæ patrem et filium: Ludouicum Galliæ.

Qui ob supremæ sedis Pontificisq; Romani authoritatē defensam, primi omniū sanguinem suum simul cum alijs quibusdam Anglis profuderunt, fuere Fiscerus

Fisherus Roffensis. Thomas Morus. Roffensis Episcopus, & Thomas Morus Angliæ Cancellarius; vterque sanè Anglici populi decus ac lumen; atque vt ille cleri, sic iste laicorum facilè princeps.

Neque solùm illud tempus, eademq; illa causa alios quamplurimos, qui illorum exemplum sibi proposuerant, simili interitu affecit; sed etiam recentiori memoria supra centum Christi sacerdotes, & aliorum vtriusq; sexus plùs minùs sexaginta, extremo supplicio in Anglia mulctauit. vt eos silentio transeamus, qui in carceribus, in fuga, in exilio vitam reliquerunt. quorum primos, eosdemq; permultos ante annos quadraginta septem nominatim percenset, qui ex illis erat Nicolaus Sanderus. *De Visib. Monarchia, & de schismate.* Reliquorum verò, qui deinceps secuti eos sunt, maior numerus est, quam vt a nobis iniri expeditè possit. De quibus profectò dum cogito, ex animo certè nec mediocriter doleo, Angliam tam multos, tamq; præstantes ciues, & viuentes non possedisse, & perdidisse morientes. Tametsi certè in non minima parte illius gloriæ & ornamenti pono, quòd tales, tamque excellentes viros in lucem produxerit; sed magis quidem, quòd eosdem tam fortes, tamque constantes in optima causa, hoc est, in sanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ dignitate ac primatu tuendo propugnan-

gnandoque, dicamne amiserit, an lucrifecerit? Vndè verè mihi videor hoc posse dicere, & cum illo exclamare, *O magna vis veritatis, quæ contra ingenia, calliditatem, sollertiam hominum (addam ego, & dæmonum) facilè se per se ipsa defendat: neque aut conteri persequutionis magnitudine, aut temporis obrui diuturnitate vlla, aut violentia possit!* Sed quò est vexata grauiùs, quò inimicius exagitata, & ad calamitatem depulsa, eò se, vel vt palma pondere depressa, erigat animosior; vel vt aurum igne probatum, suæ virtutis dignitatisque splendorem omnium oculis illustriorem ostendat. *Cic. pro Cælio.*

Quæ scilicet omnia cùm in causa religionis sanctissima fieri animaduertit, summamq; in eo Dei benignitatem in suam gentem deprehendit homo natus ad Angliæ salutem Gulielmus Alanus serio cœpit secum meditari, qua ipse ratione ad huius diuini operis ædificij; extructionē conseruationemq; aliquid cæmenti, calcis, lapidum, lignorum posset afferre. Erat enim ipse tunc temporis vnus ex multis illis, qui (Elisabetha iam regnum adepta, & nouam religionis faciem, à catholica Romana & maiorum instutis abhorrentē introducente) cedentes ab Anglia, antiquæ religionis causam in singulis suis partibus

quæ in controuersiam vocabantur, quam plurimis conscriptis editisq; voluminibus egregiè tutati essent. Verùm neque in hoc illius animo, igne quodam charitatis acriùs accenso, requies erat. Nam veluti inertissimi & desidiosissimi otij esse, nihil efficere; ita in hoc Dei & patriæ maximo negotio non quanta poterat maxima præstare, vix hominis seduli ac diligentis officij sui esse putabat.

Quapropter etiamsi defensam probè rem religionis hisce tum suis, tum aliorum scriptis, & fractam in præsens multorum oppugnantium audaciam videret: tamen quia hæc ipsa in paucorum manus, nec ad omnium aures peruenire, iudicium verò nisi doctiorũ subire poterãt; maius quiddam excogitauit, cuius vtilitatis fructus ad omnes æqualiter perueniret. Cõsilium enim inijt, qua ratione seminario ad rectam adolescentium educationem instituto, quasi tutores prouideret ac magistros, quibus in posterum & perpetuum tempus non modo sartam tectam religionem ab impetu & fraudibus improborum conseruaret; sed etiam animos pariter, ac numerum fidelium illius cultorum augeret, in eiusq; amore & obseruantia magis magisq; confirmaret. Præterea, cum isti adolescentes exercitati aliquandiu in illo

Seminarium cogitat Alanus.


suo

ſuo otio, & vmbraculo eruditorum, mox deinde in ſolem ac puluerem, atque adeò in ipſum diſcrimen & aciem Anglicanam eſſent producendi; dandam ſibi operam in primis exiſtimauit, vt quemadmodum doctrinarum armis vndique tecti, & muniti perfectè eſſent; ita etiam proponerẽt ſibi ſemper, & ante oculos haberent antiquorum illorum actiones præclariſſimas, vt eorundem virtutum, officij, innocentiæ præſtantiam ſi minùs conſequi imitando, ſaltem ſtudio ad eam ac voluntate quàm proximè poſſent accedere. Vrgebat igitur hoc maximè ſummoq; cum ſtudio; neque ſapienter minùs, quàm rectè admonebat, niſi purum illud & ſimplex in oratione, vita, & moribus, quod primorum doctorũ religionem & doctrinam è cælo deuocatam, ac cælum tantùm reſpicientem commendauerat, in ipſis eorum æmulis & imitatoribus, quaſi lumen aliquod eluceret; quod eos incolas quidem terræ, ſed cæleſtium ac ſuperorum verè contemplatores æquè ac magiſtros oſtenderet; fruſtrà ſe in ea, quam ab illis acceperant, religione conſeruanda ſtabiliendaque laboraturos. Idque eò magis, quod eis res nunc eſt non cum illis, qui in re religionis rudes & hoſpites veritatis vocem libenter audiant, auditam agnoſcant, agnitam amplectan-

tur: ſed cum his, quorum plærique alienatione quadam animi, aut ſententiæ obſtinatione ita abhorrent à catholica fide, quam non ignorant; vt non modò mentionem eius non admittant; ſed qui eam profitentur, ac ferunt præ ſe, eos omni pœna dignos putent. Quod vt planiſſimè omnibus, qui hæc lecturi ſunt, poſſit conſtare; nos vitam Alani, præcipuaſq; eius actiones ſtrictè quidem & quaſi ſub compendio ſubijciemus interim; donec tempus maturum illud aduenerit, cùm Chriſto voluntati meæ, in qua ineſt vis deſiderij, fauente, liceat eadem apertiùs explicare, & locupletiori oratione patefacere omnibus.



VITAE CARDINALIS ALANI EPITOME.


GEBATVR annus à partu Virginis salutari sesquimillesimus trigesimus secũdus, cùm hæretica labes, tanquam procella ac pestis, sanã Christi doctrinam, fidemq; Romanam, singulari Anglorum fide receptam, pariq; mille & amplius annorũ cõstantia & pietate confirmatã, in Angliam primùm inuasit, perniciosissimisq; erroribus inquinauit. Eodẽ ipso anno in Lãcastrensi prouincia Angliæ nobilissima Gulielmus Alanus, veluti despõsus iam à Deo ac destinatus tum antiquæ religionis defensor, tum nouarum opinionum oppugnator acerrimus, eiusdem benignitate propitia & euidenti in lucem editus est. *Alanus nascitur.*

Patrem habuit Ioannem Alanum & suæ familiæ honestate, & sãguinis affinitatisq; cum primarijs illius prouinciæ familijs cõiunctione nobilem. Matrem verò Ioannam Listeram Eboracensi regione oriundam, *Parentes eius.*

ingentis virtutis fœminam, & quæ multas & claras cognationes in Alanam gentem traduxit.

Sub horũ disciplina & paterna cura, modestiæ, pudoris, cæterarumq; virtutũ eiusmodi semina sparsa feliciter excepit vt in omni reliqua vita eorum fructus ediderit vberrimos atque plenissimos. Grammaticæ, & humanarum artiũ tyrocinia prima posuit sub publico quodam illius prouinciæ magistro, tanta alacritate, felicitateque, vt suorum æqualium studia ingenio industriaque multùm superauerit.

Oxoniam adit. Hac indole, atque hac discendi continua progressione, cùm decimũ quintũ expleuisset annum, ad Oxoniẽse Gymnasium à patre deducitur; in quo a domesticis impedimentis, & materna indulgentia liberior relictus, solutiori animo in libris ac literis totus delitescit. Non enim communi adolescentium more, maiorem viuendi libertatem ad otium, ineptias, voluptatem licenter cõtulit: sed magistris obedire; collegij, in quo erat, disciplinã exactè seruare; in scholis, disputationibus, omniq; exercitatione literaria assiduum ac diligentem exhibere se; a quouis discere, aut quemuis docere haud se indignum reputare; operosum denique semper, nunquam otiosum esse, id ei curæ & cordi ante omnia fuit. Quibus

bus ſane ſtudijs ac vitæ inſtituto non iuuenile tãtùm & ad vitia lubricum, ſed etiam reliquæ ætatis tempus omne à caſu & prolapſione tutum conſeruauit. Quamuis enim illi nec in pulchri corporis forma externæ deerant, nec in primo ætatis flore ac robore internæ deeſſe poterant ſeu blandæ voluptatum libidinumque illecebræ, ſeu acres gloriæ ſtimuli honorumq; cupiditates; his tamen omnibus ita reſtitit, vt nec illis expugnari adoleſcentia eius, nec his perturbari & ſuo pelli loco animi conſtãtia potuerit. Verumtamen ad hoc tam diuinum beneficium aſſequendum, non ea tãtum quæ diximus, ſed hæc etiam permagno fuere adiumento, naturæ nimirum ſuæ bonitas, præceptoris Morgani viri maximè catholici cura diligens; demum cultura Oxoniẽſis Academiæ, quã erat adeptus ſtudiorum magiſtram, à prauarum opinionum morumq; corruptela adhuc fermè intactam.

Poſteà verò quàm rei literariæ, ac præcipuè philoſophiæ ſtudijs ſumma cõtẽtione ardoreq; animi ſeptẽ ipſos annos (tot enim illius Academiæ inſtitutum ad philoſophiæ totius curſum conficiendum præſcribit) inſudaſſet, magiſter artium declaratur; honoremq; illum ſibi à reliquis delatum percipit, vt logicam, philoſophiamque

Fit magiſter artium.

Procurator Academiæ. que publicè interpretaretur. Nec multò deinde post Academiæ Procurator est electus. Duo quidē sunt pari potestate & gradu, qui ad magistratum hunc singulis annis assumi solent; estq; hic magistratus secundum Procancellariatum in illa Academia summus; nec quæstuòsus minus, quàm honoratus: vt magis mirum videri possit, in tam florēti tunc Academia bis Alanum perbreui temporis interuallo communi reliquorum (vt assolet) voce ad hunc honorem fuisse vocatum.

Secutum illud tempus est, quo Elisabetha Regina in solio Angliæ collocata, & de mutanda religione cogitans, edicto sanxerat; vt è clero omnes, ex Academicis illi, qui vel munere publico fungerentur, vel lauream ambirent scholæ, conceptis verbis iusiurandū darent, se non alium, quàm Reginam Anglicanæ ecclesiæ principem & caput habituros. *Oxoniam relinquit.* Procella hæc Alanū Oxonio statim, mox etiam Anglia expulit. Nam cùm, vbi, vbi Alanus esset, ibi nunquā prętermitteret aut eos confirmare, qui in catholica maiorum fide adhuc permanebant; aut illos, qui desciuerant, reuocare, atq; ab hęresi auertere; tantum ac tam vehemens magistratuū odium in se commouit, vt fuga sibi prospicere fuerit coactus. *Fugit ex Anglia.* Etenim altius in eorum animos hęc Alani

ni audacia penetrauit;non enim has cogitationes suas priuatas esse, non ad paucos extendi. Quid relictum Principi,si priuatus religiones præfiniat?si edictis publicis sua consilia præferat?Quid alios deinceps facturos,si ab ipso initio talia primus audeat Alanus? Reprimēdam quam primum istam confidentiam;quæ si inulta relinquatur,breui apud populum potiora fore vnius temerarij dogmata ac præceptiones, quam iura iussaque regum ac magistratuum: atq; maiorem vim habituras paucorum conspirationes ad regiam religionem euertendā,quâm totius reipublicæ potestatem ad eandem stabiliendam retinendamque. Secessit autem Alanus Louanium,nobile & celeberrimum cæterarū artium, sed theologiæ in primis gymnasium; quodque quam multorum tunc Anglorum qui se ex illis turbinibus ac religionis naufragio iam eripuerant (in quibus Sanderus,Hardingus,Dormanus,Rastaldus,& alij)gratū erat receptaculum, & sub tutela maximi catholici Regis portus tutissimus.

Dum illic hæret,partim sua sponte,partim prouocatus aliorum exemplo,qui per id tempus multa scripsere, præclarè de rebus controuersis, & maxime contra Iuellium Anglorum hæreticorum antesignanū librum confecit de Purgatorio, lingua (vt *Scribit de Purgatorio.*
alij

alij)patria; sed ea doctrinæ & eloquentiæ laude conscriptũ, vt permagnam inde nominis famam & apud omnes æstimationem sibi collegerit.

Per eos dies nobilis quidam iuuenis Anglus, qui Alani curæ cõcreditus Louanij erat, corpore paulatim diffluente extabescebat. Cui dum assiduus in omni officio persoluendo adstaret, eadem prorsus tabe, latenter quidem ab initio (erat enim viribus satis firmis, optimaq; corporis habitudine) non leuiter tamen, vt mox apparuit, inficiebatur. Attractum enim virus adeo in medullis visceribusq; implicatum insidebat, vt præterquam quòd morbum illi nullo temporis cursu sanabilem attulerit, præsens omne medicamentum ita sit aspernatum, vt celerem mortem allaturũ se minaretur, nisi effugiũ aliquod, aut longior mora à natiua cæli soliq, bonitate impetrari forte potuisset. Itaque medicorum consilijs obsecutus Alanus, atq; in Angliã reuersus, tam diu apud suos ignotus quidem, at non inutilis, latitauit; donec recedente vi morbi, plurimùmque imminuta, comperisset meliusculè habere se, & ad labores sustentãdos esse firmiorem. Etenim cùm perniciosa quædam opinio in nonnullorum catholicorum mentes irrepsisset (vt sunt perfaciles homines ad ea credenda

Merore laborat.

& am-

& amplectenda, quæ magnopere cupiant, & commodis suis conuenire arbitrentur) qua persuasum erat illis, in præcipuo hoc suo metu, tantoq; rerum ac vitæ proposito periculo licere sibi ad hæreticorum conciones atq; conuentus sine grauiori piaculo & ab ecclesia catholica dissidio accedere aliquoties: Alanus verò è contrà, non solùm aduētātes ad se intra domesticos parietes, verùm postquā exire domo per valetudinē ei licuit, etiam quoslibet conuē- tos hortari vehementer, & multis rationibus docere pergit, tantam esse criminis huiusce atrocitatem, vt qui se eo contaminauerit, nulla ratione manere in catholica cōmunione possit. Quocirca ob liberatos hoc modo in Lancastriæ prouincia eiusq; confinijs quam plurimos ab hæreticorum coitionibus, & ab hac capitali opinione, tantum illic malorum incurrit odium, vt ad aliam prouinciam ab ea longè disiunctam quam primùm demigrare sit coactus. Nec tamen ideo destitit incepto: nam & domum in qua mansit, totam tenuit in officio; & sæpius in Oxoniensem non procul positam excurrens Academiam, statim ibi non paucos, plures reliquo tempore à stipendijs hæreticorū ad Christi signa agnoscenda sequendaq; traduxit.

Ab ecclesiis hæreticorū auertit multos

Interim vero in hac quiete ac secessu libros

Scribit de Sacerdotio & de Indulgentiis.

bros duos de Sacerdotio, & de Indulgentijs ad scrupulos omnes ex quorumdam animis euellendos, Anglicè composuit Sunt enim plerique in cæteris sane non male affecti, qui tñ in similibus quibusdã catholicæ doctrinę mysterijs ita hęrẽt anxij atque incerti, curiositate ne quadam, an obstinatione sentẽtiæ suæ, dum plus sapere volũt, quàm sapere concessum est; vt donec tenuissimus de his scrupulus in eorum animis resideat, à reliquis pariter omnem cohibeant assensum.

Translatus deinceps Alanus in Norfolciensem prouinciam, haud frustrà in illius Ducis domo ipsa atque vicinia laborauit. Nã ad Romanã Ecclesiã aliquos adiũxit; atq; vt plures vna eademq; adiungeret opera, summam quandam perbreuem rationum collegit, literisq; mandauit, quibus & hæreseos vanitatem, & fidei catholicæ præstantiam ac firmitudinem ante omniũ, qui videre vellẽt, oculos clarissimè proposuit. Rationes istæ mox latè sparsę, eo quod breuissimæ; omniũ manibus tritæ, quia facillimæ & apertissimæ; valde in Caluinianismi damnum, eò quòd firmissimæ, tanta indignatione & stomacho eos, qui cum imperio erant, cumulauerãt, vt præsenti eorum iracundiæ Alanum cedere, & perceleri abitu non sibi solùm, sed multò magis

Colligit breues de fide Catholica rationes.

alijs

al'js quam plurimis conſulere, viſum ſit omnibus conſultiſſimum.

Decedit igitur ille, ſed vt non ſine fructu, ſic cum diuinæ in eo tuēdo miſericordiæ præclariſſimo documento. Nam per eos dies, quibus nauis expectanda ei fuerat, in Oxoniam excurrit; atq; æqualē ibi quondam ſuum, ab hæreticorum ſocietate & ſuggeſtu abſtractum Eccleſiæ catholicæ reſtituit: dumq; eum ſecum conatur abducere, adeo parentum eius animos (magis de ſui commodi ſpe, & inani filij gloriola quàm de ſalute ſolicitos) offendit; vt quo filij profectionem impedirent, Alano ipſi inſidias tendere minimè dubitauerint. In quas certè non incidiſſet tantùm, quin & inhæſiſſet, niſi diuina benignitas tales tenebras ei, cui Alani capiendi cura fuerat commiſſa, offudiſſet; vt quamuis ille Alanum optimè noſſe ſibi videretur, in eandemq; cum ipſo cœnam tunc incidiſſet; mirum tamen dictu, contuitur ſæpiùs, ſæpiuſq; alloquitur; & eum nihilominus tamen tamquam ignotum abire à ſe patitur.

Rurſus deſerit Angliam diuina tectus manu.

Poſt triennium in Belgium reuerſus, ſacriſq; ſacerdotalibus initiatus, in cœnobio quodā Mechlinienſi (hæc ciuitas metropolis eſt Flandriæ) theologiam interpretatur. Quo munere poſtquam functus aliquandiu

Romam adit. quandiu esset; cepissetq; iā hominem nonnulla cupiditas videndi Romam, audita Doctoris Vendiuilij (tunc Regij Professoris Duaci, post Turnacēsis Episcopi & Cōsilij regij Præsidis) profectione, ei se socium viæ adiunxit. Petebat hoc tempore Vendiuilius Romam, vt suas quasdā de infidelibus ad Christum conuertendis cogitationes cum Pio Quinto Summo Pōtifice cōmunicaret. Cuius mentem cum inani conatu propter grauiora, quæ illi in manibus erant, negotia per totam hyemem tenuisset: cumque Alanus insimul viæ tædio, & infirma corporis habitudine defatigatus, quiescendi cōmorandiq; locum Romæ frustra quæsiuisset: ineunte vere vna ambo de reuersione cogitant; seseq; ad eam, cæteris omnibus in præsens omissis, comparant atque accingunt.

Commoto autem grauius, pro eo quo erat zelo, Vēdiuilio, quàm vt se continere potuerit; conqueritur inter eundum, quòd tam pijs postulationibus suis tam pij Pōtificis aures non patuissent; seq; paulatim *Solatur Vendiuilium.* interim totum Alano aperit. Alanus autem virum bonū non modo pluribus verbis deliniuit, sed vehementer etiam excitauit. Nam quando nos Christi charitatisque lege arctiori vinculo astringimur nostris, quam alienis, vicinis quàm remo-

tio-

tioribus, Christianis quàm ethnicis: quando etiam commodius vtiliusq; opera nostra poni potest in ijs ab hæresi reducẽdis, quibuscum patriæ, linguæ, morũ societatẽ habemus; quàm in illis informandis, qui lõgè gẽtiũ absunt, nec vlla nos peculiari cõmunione attingunt; magnopere illi auctor erat & hortator Alanus, vt quas de Infidelium conuersione cogitationes, altas sanè illas valdeq; difficiles concepisset; eas ad suorum vicinorumq; populorum salutem, multò certè faciliores, & charitatis fructu vberiores cõuerteret. Atque infusa profectò in Alani mentem cogitatio ista ab ipso cælo fuisse videtur. Nam tantam vim habuit apud Vẽdiuilium hæc illius oratio & ad tristitiam mitigandam, & ad consilium approbandum amplectẽdumq; , vt plurima inde bona in Flãdriam, Holandiam, cæterasq; vicinas prouincias deriuata sint: atque ipsa quidẽ Anglia quicquid nunc penè habeat in se sementis catholicæ, id omne huic Alani consilio ferre acceptum debeat. Nũquã enim, quoad vixit, prætermisit Vendiuilius cõnari, mouere omnia ad catholicæ fidei conseruationem & in toto Belgio augmentum. Neque Duacum reuersus quieuit antè, quàm Alanum illuc ad se vocatum, & in Doctorum numerum adscriptum honorifico ac Regio stipendio

Vtilitas consilii Alani.

augendum curasset, insuper ad Anglorum Seminarium illic fundandum, confirmandum, amplificãdum. omne illi adiumẽtum ac præsidium non modo in præsens, sed in posterum quoq; tempus attulisset, & procurasset.

Appulsus Alanus in optatum à se diu quietis ac studij portum, primos stipendij sui prouentus conferens in futuri Seminarij, quòd animo conceperat, vsum; domum satis spaciosam, & quæ plurimos capere posset, conduxit. Quæ res admirationem illam, quam ab initio mouerat, tum facere desijt, cùm ex Louanio aliisq; citimis locis nonnulli ab Alano euocati, in eam domum, tanquam paruum aliquod collegium, acciperentur. Ex his autem, qui primi ad ipsum commigrarunt, aliqui erãt ipso non minores opinione, certè ætate & canis superiores: & tamen hi omnes proprio iudicio suo, impellẽte nemine, se sub auctoritatem adeoq; imperium eius non grauatè subiecerunt: grande documentum hoc facto exhibentes tum submissionis ac modestiæ suæ; tum iudicij singularis, quod de Alani integritate, prudentia, suauitateq; faciebant.

Incboat Seminariũ Duaci.

His socijs iecit Duaci prima nascentis Seminarij sui fundamenta, at non sine multa difficultate: operosa enim esse solent ma-

magnarum rerum initia. Itaque nisi ipso ab initio multa ille ratione atque prudentia sua & his satisfecisset, quos incœpti magnitudo ac difficultas deterrebat; & illorum placasset animos, qui suis rationibus non leue damnum illatum iri per Seminarium suspicabantur; inanis & cassus labor eius, ac studium omne extitisset. Lætus ergo ille valdèq; erectus initij huiusce tam felici euentu; multò nunc magis de aggreganda multitudine, quàm de pecuniarum prouentibus erat solicitus. Qui quidem etiam si id temporis essent valdè exigui, vel veriùs nulli; vtpotè quos ipse aut ex sua mercede non ita magna conferre, aut à quorũdam bonorum virorum moderatis eleemosynis colligere poterat: nefas tamẽ sibi duxit pertimere, ne ad vitam necessaria defutura essent his, quos in sanctissima causa diuinum planè consilium spontaneaq; voluntas vnum in locũ, & in communem vitæ consuetudinem congregasset.

Impedimenta remouit.

Ad primam erecti Seminarij vocem, quæ latè per Angliam mox intonuerat, permulti ex vtraq; Academia, indole ac genere clari, quasi ex torpore, & diuturno somno sunt excitati, qui nõ ita multò post non solùm famæ constantia confirmati, sed multò magis secretis Alani literis in-

Pulchrum initium Seminarii.

flammati & inuitati, Duacum abſque mora frequentes aduolarunt. Hos ille omnes mira ſuſceptos alacritate, tanta cura charitateque perpetuò proſecutus eſt; vt non pater indulgentior in amplectendis filijs; non magiſter diligentior in informandis diſcipulis; non neceſſarius beneuolentior in omni officio perſoluendo eſſe potuerit. In gubernandi verò ratione ea ſemper vtebatur æquitate, vt vita ſingulos, non affectu, meritis, non priuato officio metiretur: ea itidem prudentia, vt in tanta humana fragilitate æquè erranti aliquando veniam, ac rectè agenti gratiam ac laudē habuerit propoſitam. Etenim cùm errata illa, quæ in tam ſanctum cœtum vt plurimùm irrepunt, leuiſſima eſſe ſoleant; hæc ferè ille non tam animaduerſione digna, quàm ſilentio iudicauit: ne videlicet, qui per tot incommoda ac difficultates, contradicente ſemper magiſtratu, ipſiſq; inuitis plerunque parentibus, ſe ad eius fidem diſciplinamq; contuliſſent; ideoq; omni illecebra, & humanitatis incitamēto animandi eſſent & alliciendi; hi maioris cuiuſdam ſeueritatis moleſtijs, & nouis incōmodis impoſitis aut omnino deterrerentur, aut languidiores tardioreſq; efficerentur. Atque illi rurſum quamuis genere erant diſſimiles, ætate varij, impa-
res

ſes conditione, tamen ita fuerant in ſe inuicem animati; ita Alano addicti, debiti, obſtricti vniuerſi, vt in eo per omnem reliquam vitam colendo, obſeruādo, amando, vel obſequentiſſimè cuiuſq; ſtudium, vel pijſſimi officium æquarint certè, aut ſuperarint. Dum enim eorum vnuſquiſq; tanti ſeipſum facit, quāti ab Alano, æquo iudice, ſe æſtimatum videt: dum illius voluntatem ſeruat pro lege; ad illius prǽſcriptum libens gaudenſq; ſe totum conformat; quemadmodum rariſſimè à quoquam peccatum eſt, ſic leuiter ſemper, & aut cū minima, aut nulla offenſione. Nam apud hos, & in hoc Seminario, moderante Alano, ſolius pudoris & conſcientiæ vinculū id perfecit; quod vix alibi & apud alios vim & coercitionem, parietum ſepta, iuſſa ac vetita magiſtrorum, multorum manus & oculos præſtare poſſe videmus.

Sic poſitis firmiſſimis Seminarij fundamentis, Summo Pontifice aſcito auctore, & Philippo Catholico Rege mœcenate, vt in cuius ditione eſſet, eius præcipuè patrocinio niteretur; eā dabat operam ſedulam Alanus, vt ea caueret omnia quæ obeſſent; ea adhiberet quæ prodeſſe illius rationibus poſſent. *Modus gubernandi Seminarium.*

Pacis ac concordiæ inter ſuos tam ſeriò amicus fuit, vt nil peius oderit, quàm

factiones ac partes. Delatoribus aures adeo nõ præbuit, vt eorum accusationes rarò & molestissimè audiret; quin & eos ipsos tanquam violatores christianæ charitatis, ac potissimos turbarum omnium ac dissensionum in societate communi administros & architectos, odio haberet singulari.

Quæ ad pietatẽ, & mores, & studia pertinebant, ea omnia optimè ac valde salutariter habebat constituta. Singuli dies suas horas precum statas: Singulæ hebdomadæ ieiunium duplex: Festi dies & Dominici omnes confessionem, communionem, concionem denique certam habebant constituta.

Doctores diuinæ legis varij, etiam Philosophiæ, imò verò & aliarum sciẽtiarum (nam ratio omnium habebatur) prętereà Græcæ & Hebraicæ linguæ, audiebantur quotidie.

Disputationes, atque aliæ literariæ exercitationes publicè, & è superiori loco, & inter mensas, & priuato examine habebãtur assidue: nam nec minimum quidem temporis abibat inutiliter.

Sacrorum autem bibliorum lectio tam frequens erat & continua sine intermissione, vt integrum vtrumq; Testamentum, Vetus duodecies, Nouum decies & sexies, trien-

triennij fermè ſpacio ſit decurſum. Reliquorum vero ſcripta, quæ ad hiſtoriam, reſq; eccleſiaſticas pertinent, quæque contra hæreſim, aut pro Eccleſia faciunt; puta Bedæ, Vualdenſis, Auguſtini cōtra Donatiſtas, Cypriani de vnitate Eccleſiæ, Hieronymi in Vigilantium & Iouinianum, aliorumque ſimilium, priuatim ac diligenter legendo conterebantur.

Et quia ad Anglicanæ vineæ culturam non tantùm exactior illa ſubtiliorq; doctrina; ſed plus eo ſcripturarum, controuerſiarumq; intelligentia perfectaq; cognitio; etiam charitas & zelus domus Dei; demum prudentia ac probata vitæ conſuetudo proficiebant: multum in omnes partes Alani ſermones valebant, cùm ad fraudes hæreticorum detegendas, ac veritatē manifeſtandam; tum ad præproperos reuocandos, ſegnioreſq; incitandos; denique ad virtutis amorem inferendum, aut funditus econtra extirpandum, quicquid ſpeciem habere mali in quoquam videretur. Comparabat ille aliquando inter ſe noſtram catholicam cùm illorum hæretica eccleſia; quàm illa plena maieſtatis, quàm hæc expers omnis dignitatis; quàm in illa eluceat cæremoniarum ſplendor, Sacramentorum præſtantia, diuinitas ſacrificij; quàm in hac econtrario conſpiciatur vm-

bra ſine ſacramento, ſecta ſine ſacrificio; ſola fides ſine opere, eccleſiaſticæ diſciplinæ ratio ſine decoro. Addidit adhuc ad reddendos adoleſcentes animoſiores, Anglicam gentem maximam olim, nunc propè nullam religionis habere rationem: olim Eccleſias vt frequentiſſimè, ſic ſanctiſſimè ab omnibus adiri; nunc raro & à paucis, idq; non pietatis zelo, ſed ſæpius aut vi, aut metu, aut vanitate, aut conſuetudine: olim adhiberi paſtores doctiſſimos, caſtiſſimos, vigilantiſſimos; nunc fermè imperitos, ſordidos, ſenſus ac libidinũ ſeruos: Eccleſias, Monaſteria, Sanctorum quondã domicilia & maieſtate ornatuq; veneranda; nunc deformata & omnibus ornamentis ſpoliata, in luſtra & popinas conuerti; Et vincula illa carcereſq; facinoroſis ac furibus deſtinata, nunc Sacerdotum cuſtodijs innocentiumq; ſupplicijs deſponderi.

Doctiores ex Anglia auocat.

Excurrunt deinde in Angliam intimã alij Alani conatus. Nam nobiles viros literis laceſsit, & ad catholicæ fidei ſtudiũ impellit: doctiores ad ſe elicit & inuitat: indoctos corrigit, inſtruitque: poſtremò, vt quoſcũque abſẽtes quibus potuit charitatis officijs demeretur; ità omnes ad Seminarium ſuum vel fortuitò, vel aliqua ſua, ſuorumue cauſa accedentes, tum benigniſ-

nignissimè accipit, tum instituit diligenter, tum singulari beneuolentiæ significatione prosequitur discedentes: atque hac profecto ratione, his officijs studij & amoris plenissimis quamplurimos lucratur Christo: Seminarij verò nomen apud omnes efficit honoratum valdè, ipsumq; breui etiam copiosissimum.

Neque hoc interim spacio à scriptione aut à scholis feriatus est: nam & docuit quotidiè, & scripsit de Imaginibus, de Prædestinatione, de Sacramentis, & alia.

Scribit de Imaginibus, Prædestinatione, sacramẽtis, etc.

Non defuere Duaci viri auctoritate & virtute præstantes, qui his Seminarij principijs valdè fauerunt, suamq; in illud liberalitatem memorabilem exercuerunt. Sed & ipsemet Deus suæ singularis prouidentiæ documenta in illius necessitatibus & hoc tẽpore, & alias, opportuna alicuius viuentis, aut morientis liberalitate subleuandis edidit illustria. Nam Morganus ille, cuius mentionem anteà fecimus, è vita discedens, pecuniarum, quam habebat sũmam non contemnendam, Seminario reliquit vniuersam, qua sanè non mediocriter & præsens inopia eius, & grauis Alani solicitudo subleuata est.

Cæterùm excrescens in dies cum scholasticorum numero Seminarij sumptus, non solùm maiori, sed etiam certiori ve-

Pontifex & Rex Hispaniæ

ctigali

Conferunt Seminario. ctigali indigere videbatur. Id quod non ita multò post, supplicante Alano, amplum ac honorificum accepit, partim à Gregorio XIII. longè optimi, sanctissimi, liberalissimique Pontificis, partim à Catholici Regis potentissimi, & de Anglorum gente optime meriti, benignitate; huius annua, illius menstrua, in eius vsus pensione constituta. Insuper ab eodem Pontifice potestas, diplomate confirmata, facta Alano est, vt quoscunq; sui Seminarij Anglos sacerdotio aptos iudicaret, eos quando vellet, & cui vellet Episcopo vicino initiandos sisteret; inauguratos verò perampla ligandi ac soluendi facultate donaret, & in Angliam suo ablegaret arbitratu.

Ex hac re statim est consecuta tanta rerum animorumq; in Anglia mutatio, vt planè constiterit, cum Pontificis mente atque Alani studijs Dei Optimi Maximi iudicium voluntatemq; consensisse. *Fructus Seminarii* Nam simul ac pauci aliqui ex hoc nouitiorum grege adolescentes, instructi rebus ad tantam militiam necessarijs, pedem in Anglicano solo Alani auspicijs fixissent, & suæ virtutis animorumq; altitudinis multa in priuata consuetudine, aliqua in iudicijs, publicisq; congressibus, non pauca in carceribus, vinculis, & patibulis præclara exempla edidissent; non modo fluctuantiũ animi

animi, aut quaſi ſomno voluptatis & ignorantiæ dormitantium, erecti primùm experrectiq; ſunt; ſed ipſimet hæretici, qui leuiculum Seminarij initium, vel ob innatam ſibi ſuperbiam irriſerant, vel ob paruitatem ipſius contempſerant; nunc confuſi ac perturbati vehementer proprijs diffidere viribus, & nonnihil de ſtatu religionis ſuæ timere cœperunt.

Tali ſuorum virtute, aduerſariorum perturbatione, omnium motu doctus Alanus, clarè animaduertit, plurimùm è re catholica fore; vt, quando ſpes tam magna vberrimæ meſſis oſtendatur, multæ ſint operæ, quæ ad iſtud Domini opus vrgendum acriùs grauiuſq; incumbant. Hoc verò neque rectius perfici, quàm ſi plurima varijs in locis habeātur Seminaria; neque Seminarium vſpiam faciliùs aut vtiliùs inſtitui poſſe, quàm Romæ; quippe vbi rectiſſimæ quæque diſciplinæ; maximè quæ ad fidem & religionem ſpectant, optimè diſcantur; ſitque Anglorum hoſpitalis domus, quaſi non paruum noui Seminarij iam comparatum fundamentum. *Seminarium Romanum.*

Cōmodum acciderat, vt per id tempus Odouenus Ludouici, poſt Epiſcopus Caſſanenſis, vir prudens ac pius, nec minus particeps cum Alano in his conſilijs capiendis, quàm adiutor in perficiendis, Romæ

mæ fuerit. Eius enim opera auxilioque, non solùm parato, sed etiam efficaci vsus Alanus, paulò post obtinuit, vt octo illis sacerdotibus, qui sumptibus hospitalis tunc temporis viuebant, cedentibus, tota domus in scholasticorum vsum saluo iure peregrinorum concederet. Addidit autem veteribus hospitalis vectigalibus Pontifex nonnihil ex sua liberalitate, vt maiori multitudini sustentandæ essent satis.

Duaco eiicitur Alanus.

Alanum hęc & alia eiusmodi enixè molientem tumultus Belgici grauissimi, & coniurationes iniquorum Duaco eiecerunt; extinxissent autem, ni is fuga perceleri de eorum manibus se eripuisset. Nam ereptum illi tam tulerunt grauiter, vt omne virus suæ feritatis in eius perniciem, cōceptum, in Seminarium, eius reliquias, euomuerint; atque breui post illud publico edicto (si edictum illud appellari meruerit, quod ab imperita & iracunda plebe, vesano quorundam furore concitata, bonis omnibus inuitis, profectum est) ciuitate expulerint. Erat nempe illis persuasissimum, Præside profugo ac sine sede, cæteram multitudinem non habentem, quò confugeret, dispersam & vagã quàm citissimè ad nihilum redactum iri. Neque vana hæc fuisset cogitatio; nisi misertus Angliæ Dominus singulari prouidentia & boni-

bonitate sua paruam hanc fidei catholicæ sobolem, in magnum eius & perpetuum bonum aliquando futuram conseruasset: dum eam virtutem Alani precibus, eam mentem Franciæ Principibus infudit, vt Anglis non solùm tutum in præsens receptum, sed plurima in posterum insigni humanitatis beneficentiæq; officia præter multorum expectationem exhibuerunt.

Rhemis receptus Alanus et Seminarium.

Vix dum Parisijs Rhemos Alanus concesserat, cum ecce, qui è suorum numero primi euaserant ex Duacensi flamma, viginti & amplius, p multa pericula & viarum incommoda (erant enim omnia militibus plena) eo tandem perueniunt: hos, Seminarij illius primum futurum semen, non sine multo sudore multisq; difficultatibus (erat nanque in timore & suspicione ciuitas) admitti primò, deinde retineri curauit: donec tandem, eximio Guisiorum Principum beneficio ac patrocinio ita stabiliti & confirmati sunt; vt annis plus minus quatuordecim, quibus illic postea per summam tranquillitatem permanserunt, & multam in se illorum Principum egregiamq; liberalitatem sint experti; nec vlla vnquam populi Francici veri amoris indicia, atque officia desiderarint.

Legatus autem Reginæ Angliæ, qui Parisijs residebat, etsi iniquissimo tulerit

animo

animo locum quiescendi Rhemis Seminarium inuenisse; multaq; sit ab ipso initio contra id molitus; tantum tamen apud Regem efficere non potuit, vt, eo concedente, quicquam in illud graue iniuriumq; statueretur.

Intereà verò temporis plurimi se ad numerum alumnorum ascribunt, ac nomina profitentur; partim commoditate loci & securitate illecti; partim commoti Alani nominis existimatione, quæ vbique & apud omnes erat summa; sed maximè inducti immensa quadam & benè cognita viri charitate; quæ complexa omnes; neminem aduenientem, in quo ingenij lumen, ac bonæ indolis ac doctrinæ vestigia cernebantur, respuebat. Atque inde factum est, vt cùm per id tempus ex quinquaginta paulò minùs, qui Duaco venerant, Seminarium constaret; non longo post admodum interuallo ducenta circiter capita percenserentur numerando. Memoratu sanè dignum incrementum; vel eò magis, quòd singularis in illo Dei bonitas manifestè eluxerit. Nam cùm in tam multorum capitum accessione nihil omnino aut prouentibus Seminarij, aut priuatæ Alani rei esset adiectum: tamen, vt nec anteà illis paucis quicquam superfuisse, sic nec his, in quadruplum po-

Alumni Seminarii Rhemen. ducenti.

ſteà multiplicatis,ad vitę vſus neceſſarios aliquid defuiſſe, certius eſt cæleſtis fauoris & patrocinij argumentum quàm vt de eo dubitari aut poſſit aut debeat.

Per eos fermè dies Romanum Anglorum hoſpitale,opera (vti dictum eſt) Odoueni, re tota ex animi ſui ſententia tranſacta, conuerſum eſt in collegium ſcholaſticorum. Quod cùm nouis legibus & inſtitutis eſſet ordinandum; atque ea diſciplinæ ratio introducenda, quæ ad Angliæ bonum eſſet accommodatiſſima: non alia quàm Alani requirenda ſententia, nec cuiuſquam æquè ac illius adhibendum conſilium videbatur. nemo enim erat illo aut in rebus Anglicis verſatior,aut in naturis Anglorum periclitandis exercitatior; nemo vel patriæ amantior,vel iudicio incorruptior. Is igitur Romam à Gregorio XIII. nulla interpoſita mora vocatus eſt. *Alanus Vocatus Romam.*

Hoc primùm tempore duo è Societate Ieſu Angliam ingreſſi ſunt, aſſentiente & ſuffragante Alano. Gnarus enim ille, *An. 1580* quantum valere tùm ad exemplum, tum ad commouendam multitudinem ipſa fama ac nominis celebritas ſoleat;non modo notiſſimos quoſque, & opinione hominum doctiſſimos ad ſe ex Anglia ſtudioſiſſimè ſemper euocauit, ſed etiam cenſuit,

cos

eos iterum in Angliam vtilissimè posse remitti, qui nomen anteà apud suos habuerint, quorumq;, labores scholastici iam dimanassent ad hominum ibidem existimationem. Quādoquidem igitur Campianus ille, qui aliquot ante annos se ad eam Societatem adiunxerat, is erat, cui perpetua & constans commendatio eximiam doctrinæ ac virtutis opinionem domi forisq; apud omnes conciliauerat; valde è re catholica futurum non dubitauit, vt ipse in Angliam primo quoque tempore mitteretur. Cumq; ei socius consiliorum perinde ac periculorum esset adiungendus; visum suis est, vt Robertus Parsonius ei accederet, vir vt religionis nomine commendatus, sic prudens prouidensque ad suorum normam habitus.

Iesuitæ nunc primum Angliam ingressi.

Ille quidem Alani ad Vrbem accessus, atque hic rursum Iesuitarum in Angliam discessus, timore incerto, at graui, magistratum Anglum impleuerat. Cui vt in omnes partes esset prouisum, non solùm noua ac seuera Edicta in Iesuitas ac Seminaristas promulgat; sed eosdem etiam libello edito passimq; sparso, multis calumnijs & criminibus falsis onerat: nec tantùm adumbratis flagitiorum titulis, sed legum suarum laqueis implicat, & constringit. Huic libello alio suo, cui Apologiæ Semi-

nario-

nariorum titulum præfixit, Alanus ita respondit, vt ignoratum sit, suorum ne innocentiæ, an propriæ moderationis, ac prudentiæ clarius in eo atque grauius documentum dedisset.

Apologiā Seminariorū scripsit.

Accidit circa hæc tempora, vt apertissimum Rhemensium in se voluntatis testimonium Alanus perciperet. Canonicatum enim, qui in Ecclesia principe vacauerat, fuisse in eum singulari Cardinalis Guisij studio, iudicioq; collatum, tanta gratulatione prosequuti sunt socij omnes illius amplissimi Collegij; vt quo magis testarentur voluptatem animi sui, & quantopere Angliæ causa cuperent; Alanum ipsum (vt liberior, & expeditior Seminarij rebus vacare animo, & corpore posset) nouo ac singulari priuilegio, à publicis Ecclesiæ suæ oneribus, ac muneribus solutum & liberum esse voluerunt.

Rhemēses in Alanū beneuoli.

Hoc inter alia memoratu, & notatu dignum; in tanto numero Alumnorum, ac tàm multorum annorum cursu, vnum Rhemis inuentum esse, Richardum nomine, qui (vt ipsemet confessus est) illusus ambitionis, & voluptatis falsa specie, quàm sibi animo formauerat, quandocunque posset aliquid efficere, quod his, qui cum potestate in Anglia sunt, gratum foret & acceptum; non solùm percepta in

Richardus sceleratus in Alanū, & Seminarium.

Seminario beneficia contempsit; sed quasi expers factus humanitatis, tùm in Alani caput, à quo omnia acceperat; tùm in Seminarij exitium, cui omnia debebat, pestem nefariè machinatus est. Nam, cibis omnibus veneno infectis, vna in cœna simul omnes necare nequissimè cogitauit. Sed maturè in apertum per sceleris conscium prolato facinore; non ad extremum perditus, culpam agnouit, deprecatusq; pœnam, magna Alani voluntate dimissus est.

Interim verò magistratus Anglus, quandoquidem adolescentes continuò ex Anglia exire, sacerdotes in Angliam frequẽtes redire animaduertit; maiori acerbitate vtendum ratus, non iam minas, & legum, pœnarumq; terrores proponit singulis; sed carceres, tormenta, quæstiones in multos exercet; aliquos etiam cruce, sectione, flammis in terrorem aliorum enecat. Quæ quidem crudelitas, maximè humanæ inimica naturæ, cùm malè apud exteras omnes audiret nationes, vt à iusta aliqua, vel propè necessaria causa proficisci videretur, libellum quendam, Iustitiæ Britannicæ indicem fronte ostentantem diuulgant; in eoq; nituntur ostendere, eos omnes catholicos, qui mortis sententiæ in Anglia addicuntur, reos criminis

Respondit Iustitiæ Britannicæ.

minis

minis læsæ maiestatis, legitimoque iudicio conuictos interire. Quod cùm non modò falsum esse constaret; sed fore etiã, si crederetur, perniciosum ita, vt in causæ catholicæ arcem nulla re grauiùs posset inuadi: huic turpi infamiæ cupiens Alanus obuiam ire quam citissimè, alium librum, paucorum dierum labore confectum edidit; in quo tum sacerdotum, catholicorumq; vexationes necesq; iniustissimas, tum insignem aduersariorum malitiam, fraudes, atque calumnias breuiter quidem, sed apertissimè retexuit.

Vita Alani iterum tentatur.

In aliud deinceps discrimen vitæ Alanus incidit. Nam consuetudo eius cum Ioanne Austriaco Belgij Prorege arctior, & communicatio per literas paulò frequentior, grauem ac vehementem suspicionem in Anglorum animis commouebat. Cuius suspicionis timor vt aliqua amoueretur ratione, omni enitendum ratione putabant. Amoueri autem non posse certiùs aut prudentiùs, quàm si via iniretur, qua vnus, & alter è vita tolleretur: nisi enim his sublatis, nunquam se in tuto, nunquam sine metu futuros. Summæ difficultatis hoc consilium esse; attamen tentanda omnia publicæ securitatis gratia. Imò vero rem rectè considerantibus oblatam nũc quasi diuinitùs occasionem,

Egremundus Raclesus.

quæ non erat negligenda. Habere namq; se in carcerem conditum Egremundum, Raclesum, militem non malum, strenuum profectò ac manu promptum; neque capitis modò reum, sed supplicio iam addictum: tentaturum hunc quodcunq; facinus, modò impunitas ei & præmij spes ostendatur. Si ex sententia res & perinde, vt cupiunt, succedat, se extra periculum, & extra curam fore: sin minùs, noxam illam omnem Raclesi solius periculo castigatum iri. Neque fuit Raclesus tardus ad arripiendam conditionem, & omnia promittenda: non tam sperata mercede, quàm libertate ac salute non expectata lætus. Nec certè ratio constat, qua ille motus, manus ab Alano tunc abstinuerit, cùm ad Austriacum tendens eum visitandi gratia Rhemis adijsset. In Alano vero ea fuit firmitas animi & constantia, vt licet haberet plurimorum literis consilia Raclesi, & quæ acta cum illo erant, notissima; adeuntem tamen ad se non modò non repulerit, sed in longum ac secretum admissum colloquium, benignè & amicè obiurgatum dimiserit.

Morbus Alani grauissimus.

Dum his studijs hisque periculis Alanus defungitur, non laboribus parcens, sed animo & corpore, noctes ac dies excubans suis: morbum contraxit grauem,

&

& præſentis periculi eò magis plenum, quò magis vera cauſa tanti latentis mali ignorabatur. Non enim calculus aliquis, non tumoris vitium, non alia quæuis impedimenti ratio apparebat, cum tamen ille decem diebus ipſis nullam prorſus vrinam reddere valuerit. Sic ergo morbo ſua pertinacia omne medicamentum ſuperante, Spadanas tandem aquas, his qui tali laborant morbo, ſalutares, ex conſilio medicorum adire conſtituit. Neque ab ingreſſo ſemel itinere deſtitit, quamuis, cedente interim malo naturæ muneri, in ipſa morbi nocte vndecima vrina paulatim effluere incœperit, ac proprio ſuo impetu, perque modica quædam interualla de integrò emanare.

Rhemis diſcedens Alanus non ſine multis Alumnorum omnium lacrymis, curæ communi ſeniorum Seminarium commendatum reliquit. Ad aquas autem illas nondum per multos conſtiterat dies, cùm literis ac precibus patrum Societatis Ieſu Romam accerſitus eſt; ea cauſa, vt diſcordias quaſdam, quæ in illo Anglorum Collegio patribus iſtis cum Scholaſticis, qui ſub eorum diſciplina erant, interceſſerant; ille pro ea, qua apud omnes valeret auctoritate exiſtimationeque ſedaret atque componeret. Multa iam ad Ala- *Romam iterum vocatur.*

num fuerant perlata litteris, ac rumoribus de dissensione hac, neque leuem inde animo molestiam traxerat. Itaque cùm ad tantæ charitatis munus ab ipsis nunc patribus erat inuitatus; non modò libenter ac statim assensus est, sed tanta voluntate se ad iter accinxit, vt quamuis valde adhuc esset & corpore infirmo, & imminutis viribus; tamen confestim se dare in viam adeo longam & molestam, & causam pacis, religionis, patrijq; commodi omnibus suis commodis, adeoq; saluti ac vitæ præferre, non dubitauerit.

Postea verò, quàm Romæ paucissimorum dierum adhortatione & diligentia hac in re quæ voluit, ac vt voluit (quod antea vix credibile quibusdam est visum) effecisset; atque animos illos variè distractos ad priorem & nulli ingratam concordiã, obliteratis offensionibus, reduxisset: nihil illi lõgius videbatur, quàm illud anni tempus videre, quo, transactis hybernis mensibus, & refectis aliquantulum ex ægritudinis & itineris molestia viribus, reuerti ipse Rhemos ad suos consolandos, & ad solita sua munia in Seminarij ac patriæ vsum bonumque obeunda posset.

Verùm hanc sitim suam, pro suorum desiderio accensam, quò minus reditu sedare potuerit, variæ res effecerunt, & obstite-

ſtiterunt: ſed illud in primis, quòd non poſt multos menſes à Sixto Quinto, longè prudentiſſimo & maximo Pontifice, ad nouum, nec ab eo aut expectatum, aut concupitum Cardinalatus honorem extra tempora ſtata, ſine altero ſolus, & ad maiora deſtinatus, fuerit aſcitus. Alanus enim, qua erat modeſtia & ſubmiſſione animi, magis quæ cœli, quàm quæ terræ ſunt quærentis; nec hunc, nec alium honoris gradum aut prehenſauit vnquam, aut præoptauit. quinimo, (niſi nos vana aliquando à viris magnis ac fide dignisſimis accepimus) ipſum hunc honorem à Gregorio XIII. alias ei oblatum, non modò auidè amplexus non eſt, ſed etiam refugit; atque vt res Angliæ tunc temporis ſe habebant, nonnullis in contrarium adductis rationibus eſt deprecatus. *Creatur Cardinalis.*

Sed qui dignitatem hanc perquiſiuit nunquam; is tamen acceptam pro gradus amplitudine ſuſtentandam putauit. Nouerat enim honorem omnem perinde laboris precium eſſe, atque virtutis præmium: eumq. honore omni eſſe indignũ, qui honore vti aut nolit, aut neſciat. Quare nouis ille cogitationibus erat diſtrictiſſimus; qua nimirùm ratione adeptam dignitatẽ pro amplitudine tueri *Vt ſe gerit Cardinalis.*

atque non ſolum in his, quæ ad ſe ſuumq; officium pertinerent, non deficeret; ſed ea etiam præſtaret,quibus(quoad fieri poſſet)præiret alijs ac præluceret.

A Senatu & Conſiſtorio, ad quod ſingulis ex conſuetudine hebdomadis Cardinales à Pontifice per viatorem accerſiti conſilij capiendi cauſa ſolent conuenire. neque abſuit Alanus vnquam, neque nouiſſimus aduenit. In ſententia verò dicenda eam adhibebat modeſtiam, vt non alium offenderet;eam libertatem,vt ſuam non læderet conſcientiam. Cumque in duabus Congtegationibus præcipuè, Indicis, & Germaniæ, Pontifex illius opera vteretur:in id diligentiam conferebat, ne minor ſua ſedulitas fidelitaſq; in conſulendo, quàm moderatio in contendendo videretur: quin procul ipſe ab omni inuidia & oſtentatione, non erat aut æmulatione collegis, aut contentione vnquam contradicentibus moleſtus. Quibus rebus euicit, vt cum virtus ac prudentia ſua Pontificibus indies notior eſſet ac probatior,tum conſuetudo collegis gratior & coniunctior.

In ſacris Biblijs Sixti Quinti nomine, Clementis Octaui iuſſu editis ac promulgatis,Alani operæ, iudicij, diligentiæ pars non exigua fuit,Cumque Congregationis

Indi-

Indicis cura altera illa vel maxima fuerit, vt non modo Biblia, sed veterum quoque Doctorum volumina à deprauationibus, quæ misera recentiorum temporum cæcitate & malitia irrepserunt, expurgata prodirent quam emendatissima; Alani solicitudini commissa sunt ea, quæ à Diuo Augustino sunt scripta omnia. In quod pensum opusque, vastum ac multiplex, dum omni cogitatione, ac studio cum alijs quibusdam, qui ei suberant, incumbit; mors, quæ magna conantibus semper immatura, celeriter nimis & laborum, & vitæ finem illi attulit.

Sed nec istæ, nec aliæ, quamuis grauissimæ & latè patentes cogitationes, causæ fuere, vt cogitationem rerum Anglicarum vel ad punctum temporis abijceret. Nam has ita infixas animo gerebat semper, vt de nulla re magis, quàm de earum ratione noctes diesq; meditaretur. Quem enim sæpissimè non appellauit eorum, qui plurimum poterant? quem neglexit eorum, apud quos ipse aliquid polleret? Omnes monere, orare, obsecrare nunquam destitit, vt in alijs maximis curis partẽ aliquam suarum cogitationum in Angliæ salutem conferrent: quæ Christiani Orbis pars

Cura publica Angliæ.

eiusmodi est, vt nec bene illa habere se, nec malè affecta esse queat; quin eandem suam, siue fœlicitatem, siue miseriam cum alijs quamplurimis cõmunicet necessario.

Collegiũ aliud cogitat. Præterea Collegium aliud excitare in animo habuit ad sacerdotes accipiẽdos, tàm eos, qui, exacto in Seminarijs studiorum suorum curriculo, omnisq; doctrinæ fundamentis præclarè iactis, ea essent ingenij bonitate, vt breui tempore, nec magno negocio, ad summam eruditionis perfectionem peruenturi viderentur; quàm illos, qui post præclarè positam in Anglica messe operam, exilij causa, aut periculi deuitandi solum vertere cogerentur. Atque hoc quidem Collegium maximè vtile ac necessarium etsi maximè cupiebat; tamẽ multa erãt, quò minus illud perficere potuit, impedimento. Nam præter angustias rei suæ familiaris, & voluntates quorundam ab eo paulùm auersas; etiam ij, à quibus præcipuã opem expectare poterat, alijs exhausti necessarijs sumptibus, illud subsidij, quod erat necesse, conferre nequiuerunt.

Cura Seminarii Rhemẽsis. Cæterùm, nec Rhemensis Seminarij eum cœperat obliuio, cui, ne longa hac intermissione, & moderatoris destitu-

tutione grauioris aliquid incommodi ſubeundum eſſet, Richardum Baretum Præſidem conſtituit. Erat iſte Baretus vir optimus, doctrinæ, & pietatis multæ, & qui Romæ aliquot annis, Rhemis diu ſub Alani diſciplina vixerat: ſed erat natura paulò ſeuerior, & iracundior. Quos quidem feruidi animi motus anteà latentes cùm in imperio ac poteſtate prompſerat liberiùs (rarò enim in dominatu moderatio,& poteſtas ſui) offendit multos ſcholaſticorũ,& tantas turbas mouit, vt ijs ſedãdis multæ Alani literæ,obiurgationes,caſtigationes vix ſufficerint. Immò niſi ea fuiſſet apud ſcholaſticos Alani auctoritas; is rurſum in Alanum eorundem amor ac reuerentia, vt nihil potuerit maius eſſe, magisq; ex animo; neque has ille rixas ſuſtuliſſet tam facilè; & multò ſanè difficilius tumultus illos compreſſiſſet, quos grauiores, moleſtioresq; eadem propè tempora, at plures cauſæ, in Romano Anglorum Collegio renouarunt. Quibus tamen omnibus tollendis, mitigandisq;, quia ea facilitate, & celeritate ſemper vſus eſt Alanus, vt aliorum errata in eius maximè gloriam conceſſiſſe viderentur: incertum omnino relictum eſt, incautiores alij, aut proniores ad irritan-

dos animos, an Alanus felicior ad eosdem placandos, molliendosque extitisset.

Seminaria Hispanica Iacta paulò ante in Hispania fuerant duorum Seminariorum, Anglicæ iuventuti recipiendæ, erudiendæq; fundamenta; ampla certè illa, ac singularia maximi Regis, eiusque populi in Anglorum gentem beneuolentiæ beneficentiæq; testimonia. Ad hæc augenda magis atque ornanda datur ab Alano opera, vt Pontificio diplomate confirmata, honorificis priuilegijs, & indulgentiis essent decorata.

Cura priuatorum. Cum ista communi & Collegiorum publica, etiam priuatarum ratio erat copulata. Ita enim respexit vniuersos, vt singulos curare non omitteret: atque ita sibi faciendum non solùm ex officio, sed maxime suadente ratione existimauit. Nam cùm patria necessitas omniũ, quotquot essent, industrias desideraret, ijsque opus haberet; ea singulorum ratio habenda videbatur, vt ne minimi cuiusquam opera esset negligenda.

Remotos atque absentes per se, & per alios commodando, & commendando, etiam, vbi opus esset, defendendo, subleuauit. Romam verò & ad se accedentes, qua poterat humanitate maxima,

ma; aut mensa, tectoq; recipiebat; si tales essent, qui suscipi mererentur; sin minus, quatenus liceret, ipsiq; expeterent re sua; consilio autem semper adiuuit. atque hac ratione meliores eos multò, quàm cum venerant, & sibi, catholicisq; amiciores domum remittebat.

In pace inter discordantes priuatim concilianda, inq; ijs controuersijs, quas sæpius in Collegijs ortas meminimus, dirimendis, tali vsus est prudentia, moderatione, solertia, vt, quod difficillimum, id perpetuò sit consecutus; vt nec hac, nec illa parte plus iusto læsa, aut aliquo modo offensa, pariter ab vtraq; diligeretur.

Qui in famulatu ei fuerant, ac domestica consuetudine, hos non seruos, sed filios nominabat: quasi ipse videlicet viri Ecclesiastici personam sustinens, non tàm eorum se dominum, quàm patrem reputaret. Tanquam igitur veri filij sibi essent, ita omnem illis suum amorem, curamq; impertiebat; necessitatibus illorum, quatenus per facultates dabatur, consulebat: singulis ex consuetudine mensibus eos per confessionem sacram noxis expiatos, diuino pascebat pabulo. Deniq; si quid in quoquam erat reprehendendum, id etsi quan-

Qualis in familiares.

quandoq; palàm (quod ita conuenire videbatur) tamen rectissimè, cautissimèque semper faciebat. Nam non tantùm verbo, signove non notauit quenquam, aut quod latebat, aperuit; sed nec verborum adiunxit aut contumeliam vllam, aut acriorem acerbitatem. Vt is planè iniquissimus videri posset, qui iniquo animo ferret id, quod ab eo indicatum, non tantùm latenter, & intra modum, sed dolenter, & inuitissimè animaduerterat.

In deligendis illis, quibus rerum familiarium præcipua cura erat committenda, sedulam adhibebat diligentiam. Electis, vti fidelissimis, fidem, amota solicitudine, tribuebat: atque hac ratione se à domesticis tricis maxima ex parte liberauit, & famulis vtebatur ferè optimis, multo sanè diligentioribus. Nam in probis, ac prudentibus vis conscientiæ, & fides adhibita maius vinculum est, quàm metus vllus, aut suspicio, aut custodes mille. Iam verò, quia ipse se etiam aduersus eos, qui inferioris loci & conditionis erant, benignè & humaniter gerebat; neque quicquam per ministros suos de liberalitate sua diminui patiebatur (nam quod illis quacunque ratione debebatur, id

absque fraude suo tempore præstari sedulò præcepit) neque cuiusquam querimonias audiebat ipse; & qui de illo sermones, siue domi, siue foris, per suos habebantur, non maledicentium erant voces, aut queritantium, sed verè laudantium, & reuerentiam simul, & amorem suum non simulatè testantium.

Quotidianæ vitæ eius ratio sic erat disposita, vt nihil in ea perturbatum, nihil præposterum reperisses. Erat multæ vigiliæ, somni parcissimi. A sacro, quod ipsemet quotidie faciebat, vel adeuntes audiebat, vel lectioni scriptionivè, in qua maximè assiduus fuit, operam dabat. In prandio, & cœna incuriosus, neque longus, magis animum lectione, quàm cibo corpus pascens, satiansque. Vacuum ei tempus quod erat relictum, si à prandio, sæpiùs eam consuetudinem retinuit, vt per loca, à tumultu & frequentia remota, curru circumuectus valetudini prospiceret: si à cœna, id hilari, lætoque cum familiaribus sermone, quo magnopere delectabatur, sed ita, vt maiestatem seruaret, consumebat. Erat enim illi in more positum, seueritatem orationis condire mira iucunditate, & comitatem semper sic adiungere grauitati, vt ex-

Vita quotidiana.

excellere in vtroq; videretur. Postremò, vt diem continuò ab horis statis, ac Missa exordiri; sic recitatis litanijs eundem rursus concludere nunquam intermisit.

Finem ei vitæ eadem, quæ ante octo annos illum oppresserat, vrinæ retentio apportauit: cuius quidem iam appropinquantis aliqua antecessere indicia. Nam in meiendo difficultatem sensit aliquotiens: atque vsum planè omnem quarti dextræ manus digiti sex ante mortem mensibus amisit. Quibus rebus quasi à diuino admonitus numine, de nulla re sæpiùs, ac libentiùs cum quibusdam familiarium disseruit, quàm de suo celeri è vita excessu; vt facilè cōstiterit, & sentire ipsum, & lætari vehementer, quòd corporis huius effracto carcere, breui ei libero tanquam in patriam foret reuertendum.

Decessit omnibus Christianis præsidijs benè munitus, tanta animi alacritate, constantia, tranquillitate, vt adstantes omnes consolaretur, ipse nullius consolatione indigeret. Decessit autem mane, orto iam sole, ægritudinis suæ, mensisque Octobris die decimosexto, humanæ salutis anno M. D. X C I V.

Cle-

Clemens Octauus Pontifex Maximus pariter ac religiosissimus, vt Alanum viuum amore ac beneficijs, sic mortuum pijs lacrymis & honore prosecutus est. Fuit enim eius exitus bonis cunctis grauis, Angliæ immaturus, suis luctuosissimus, notis pariter atque ignotis molestiam exhibens. Hoc testata sunt bonorũ suspiria; suorũ tristitia; miserãdi, qui secuti in Anglia sunt, casus ac dissidia; deniq; omniũ ordinũ in eius funere, exequijsq; cohonestandis, studiũ, mœror, frequẽtia. *Pietas omnium in Alanum.*

Fuit eius species & corporis habitus ad pulchritudinem & dignitatem compositus egregiè: vultus & facies, quæ opinione & indicio virtutis nõ fallaci gratiã & amorẽ facilè conciliarent. Candor verò animi fuit eiusmodi, vt cùm in verbis & actionibus omnia ad conscientiã, nihil ad ostentationem referret, certè vt fidelem non negaueris, ita virum bonum dixeris necessariò. *Habitus Corporis & Animi.*

Incredibilis in illo erat verecundia ac modestia; quæ apud bonos viros persæpe ei commodo, semper certè laudi fuit. *Virtutes Alani.*

Integritas verò eiusmodi, quæ nec odio, nec amore impelli, nec retardari ab officio timore potuit.

Proximos amabat amore verè Christiano; suos singulari, eo tamẽ, qui cõtra ratio-

rationis officijq; præceptum nihil vnquam tribuerit necessitudini.

Et constantia ac moderatione præditus fuit, vt parem animi firmitudinem, similemque vultum in omni fortuna prętulerit. Honores nec appetiuit, nec adeptus amplissimos, incessit inflatior aut arrogantior.

Liberalitatem exercuit veram & commemorandam, non ijs donans qui donare maxima possent; sed nihil adeò vnquam habens suum, quod non omnium itidem calamitosorum esse videretur.

In naturis hominum internoscendis perspicacissimus: in rebus æstimandis scientissimus: in scribendo cum primis prudens & eloquens est habitus.

Memoria illi magna; iudicium singulare; sermo grauis, vrbanus, elegans, & (quæ laus præcipua est) ingenuus & verax.

Pietas eius, iustitia, castimonia, zelus, notiora sunt omnibus, quàm vt plura hic dicere sit necesse.

Magnitudo animi fecit, vt humana omnia pro nihilo duceret, vt patriam, spesq; maximas Christi & fidei causa relinqueret; vt fastidium, diuturnitatemq; morbi ferret æquissimè: vt ipsa morte nec charorum sibi hominum immoderatè,

ratè,& ſua leuiſſimè commoueretur.

His virtutibus, hac valetudinis graui & continua imbecillitate impleuit annum ſexageſimum ſecundum: quæ ætas robuſtis & rectè valentibus longa poteſt videri; Alano verò eò breuier, quò maior ſpes, ſi paulum modo ſuperuixiſſet, & multa per eum Angliæ bona parari poſſe, quæ nunc vix, aut tardè ſperantur; & multa incommoda prohiberi, quæ deinceps eueniſſe nimio cum mœrore noſtro recordamur. Sed felix Alanus, qui diuinam in ſe miſericordiam tam benignam experiri meruerit, vt in corpore infirmo vegetam mentem geſſerit: in voluntaria paupertate aliorum neceſſitatibus ſubuenerit: exul, & procul à patria, patriam dilexerit vnicè, patriã iuuarit maximè: viuens inter alienos, obſeruatus ſit & cultus tanquam à ſuis: abiens è vita deceſſerit Romæ, præuiſa ac præſenſa morte, in medio amiciſſimorum ſuorum; atque pari omnium ordinum dolore & officijs, ſtudij eximij plenis honeſtatus & honoratus. Miſeri verò Angli, quos quaſi pupillos & orfanos poſt ſe reliquit: atque ipſa infelix Anglia, quæ in vno homine, vnoq; die tantum perdiderit, quantum alij omnes vix videntur reliquo tempore reſtituturi. Sed bona ſpe ducimur, il-

lum sempiternæ felicitatis portum, quem contento cursu, quantum conniti viribus animoq; poterat, semper petierit, iam ingressum, & posse nos eò fouere & amare ardentiùs, quò est ipse nunc charitate perfectior; & velle pro nobis Christum rogare eò impensiùs & efficaciùs, quò est Christo iam propior atque coniunctior. Nos igitur vicissim tanti viri memoriam ita colamus, ita conseruemus, vt ad virtutum illius contemplationem excitati, & quæ fecerit imitemur, & quæ docuerit exequamur; vt hoc modo grati, digni similiter efficiamur, quibus, eo intercedente, à Dei bonitate concedantur bona illa, quæ nobis in hac vita salutaria esse possint, & in altera cum illo æterna.

FINIS.

Errata.	*Corrige.*
Pag.11.lin.20.In Anglia.	In Angliam
pag.14 lin.20 annum 156.	alii 170.alii 182.
pag.23.lin.2. Definit,	finit
pag.24.lin.13.Qua,	Quæ
pag.31.lin.26.ab iis	ab aliis
pag.40.lin.19.fecimus acceptam	ferimus acceptum
pag.42.lin.3. faciente	fauente
pag.43.lin.14.Seruatori	Saluatori
pag.60.marg.Merore laborat,	tabe laborat,
pag.92.lin.20.maxime	maxima



ROMAE,
Apud Guillelmum Facciottum.
M. DC. VIII.

